DISSERTATIONEM

MEDICO-PRACTICAM

DE PODAGRA,

EDIDIT

PETRUS-FRANCISCUS BAUWELEERS, M. D.
Preturæ Gandavensis Medicus Primarius,

Nosocomii militaris Clinicus; Societat. Medico-Practicæ Monspeliensi, Bruxellensi etc. adscriptus,

Dissertationi sub epigraphio Vita brevis ars longa etc. *publice adplausit Societas Medica Bruxellensis die* 19 *Junii* 1809.

GANDAVI,
Ex Typographiâ C. J. FERNAND.

D. D.

PETRO PYCKE, urbis Gand. Prætori Administ. nosocom. et charit. Christ. Præsidi;

JOANNI-BAPTISTÆ-MARIÆ-JOSEPHO-GHISLENO DHANE-STEENHUYSE, Superiori Consilio provinciæ ad Scaldim adjuncto, Præsidis Vices-gerenti;

VANDER HAEGHEN-VANDEN CRUYCEN, Præfecto provinciæ ad Scaldim, et Prætori urbis à Consiliis;

LUDOVICO DE POTTER-KERVYN, provinciæ Scaldis ad Comitia Imperii misso;

TRIEST, cathedralis Ecclesiæ S. Bavonis Canonico;

KERVYN-DE VOLKAERSBEKE, Prætori urbis à Consiliis;

LAMMENS, Administrationis à Secretis;

Patronis meis quam plurimum colendis has paginas vovet, dicatque

P. F. Bauweleers.

AUCTORIS DEFUNCTI AMICUS, LECTORI.

Ne ægri quidem, quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est!

CICERO *de Natura Deorum. Lib. II, cap.* 4.

CUM *auctor hujus opusculi, cui Societas Medica Bruxellensis adplausit, morbo nosocomiali jam è medio sublatus fuisset, antequam illud nuperrimè ante ejus obitum impressum, in lucem fuisset emissum, à Bibliopola et à defuncti Amicis rogatus sum, ut analiticam, quæ opusculo deerat, conciperem præfationem: itaque ob peculiarem Auctoris Amicitiam, huic petitioni gratè obsequens, hæc pauca subsequentia sub forma operis analysis, raptim ei adjunxi; quibus et aliqua quæ cum Dissertatione illâ congruere mihi videbantur addidi, et quidem aliqua pro sensu petitionis Academicæ essentialia, circa quæ ego aliter sentio, candide proposui.*

Vetustissimis jam temporibus affectiones rheumaticas, ut et artriticas, pro

cognatis morbis ab optimis medicis fuisse habitas, docent Hyppocratis *et* Galeni *scripta; donec inter græcos* Alexander Trallianus, *omnium primus nomen artritidis adhibuit, per quod, podagram confundens, serioribus temporibus medicos induxit ut hanc a rheumatismo distinguerent; atque hi solum illud discrimen admittebant, quod nempe artritis articulos obsideat, rheumatismus vero partes extra articulos sitas, musculos scilicet cum obvolventibus eos membranis, item nervos aliquando grandiores, sicuti in ischiade nervosa; sive ceteroquin febris adsit sive desit, sive fixus inhæreat dolor, sive vagis insultibus infestet.*

Hanc opinionem generaliter omnes medici ad Boerhaavii *tempus et serius quidem amplexi sunt, donec inter alios paucos celebris* Cullenus *praxi quadraginta annorum stabilitus, in novâ suâ, morborum artriticorum et rheumaticorum theoriâ, podagram, ut alterius originis et indolis malum, a rheumatismo et artritide totaliter dixtinxit. Et sane sequentia ejus argumenta perito et impartiali practico, sat plausibilia patebunt.*

Primo. *Indubitanter causa proxima podagræ, pro maxima parte ab intima corporeâ hominis constitutione vel ab*

hæreditariâ labe dependere videtur, quæ certis vitæ curriculis, per varias causas motrices exteriores, rapidius, vel sub sola naturali circulationis evolutione, tardius, et raro ante trigesimum quintum ætatis annum, determinatur; dum è contra morbi illi artritici et rhœumatici vulgares, solam videntur aëris intemperiem, ut causam agnoscere.

SECUNDO. *Frequentissime symptomata labefactatæ chilificationis, insultum podagricum vel antecedunt, vel concomitantur; secus illud in rheumatismo vel artritide accidit, nisi causa morbi sit complicata.*

TERTIO. *Sexus fœmineus non nisi rarius verâ podagrâ corripitur; non alias ipsi obnoxias esse, quam vetulas vel quæ corporis robore viros emulantur,* Sydenhamus *judicat. Contra vero centenæ fœminæ quotidie vel rhœumatismo vel artritide laborant.*

QUARTO. *Vera podagra morbus est periodicus, et ex iisdem fere causis, post certam et indeterminatam novam corporis revolutionem morbosam, redit; quod sane in artriticis vulgaribus affectionibus non ita observare licet.*

QUINTO. *Alia in ipsâ podagræ periodo vel paroxismo observantur symptomata,*

quam sub accessu rheumatismi vel artritidis vulgaris etc.

Licet autem quoad observanda ex his principiis phænomena, Culleni *doctrina multum lucis attulerit, nebulosa tamen adeò hucusque mansit hujus morbi causæ proximæ, doctrina, ut post celebrem illum virum alii scriptores nil melius de eâ retulerint, et forsan hoc seculo nondum eo deveniendum sit, ut sine omni metu de opposito de eâ pronunciari valeat. Ideo, ni fallor, à* Societate Medicâ Bruxellensi, *pro concursu anni* 1808 *sequentes circa hanc materiem quæstiones propositæ fuerunt:*

1.° Quænam sit natura et causa morbidarum affectionum, quæ apud practicos, sub denominatione Podagræ, noscuntur.

2.° Qualis sit caracter PODAGRÆ sic dictæ IRREGULARIS.

3.° Quibus remediis seu prophilacticis seu curativis, his, Podagræ, quasi obnormitatibus, mederi possit medicus.

His quæstionibus auctor respondens, quum, quæ in regulari podagrâ observantur phœnomena, pro irregularis cognitione fundamenta prebeant, primum de regulari podagrâ, de eâ, quæ sub ordinariâ observatur formâ, agere, dein morbos ex illa promanantes, auctoribus

annotatos, breviter memorare et pro his regulas quasdam practicas in unum opusculum coacervare decrevit. Itaque quæ umquam de hoc morbo lectu digna scripta sunt, ut et quædam nova quæ reverà legi merentur, unico quasi ictu oculi, Lectori suo exhibet.

Opusculum suum, juxta proposita Societatis Medicæ Bruxellensis, in tres partes distribuit auctor; quarum, quod maxime notabile et rarius scriptum est, ego parvâ hic offero sub analysi, simulque quod dubium teneo, propono.

In prima scilicet parte retulit :

Phœnomena maximè frequentia, sed et sæpe admodum diversa podagræ regularis: ibidem contra plurium hodiernorum medicorum et meam opinionem, antiquam sententiam amplectitur juxta quam inter artritidem vulgarem et veram podagram vix aliquod-discrimen, pluribus in locis, admittere videtur.

Alio loco, *quod podagrici rarius à morbis epidemicis afficiantur, opinatur, quamvis podagra cum catharris persæpe alternare videatur, ut ait: illud assertum exemplo erga se ipsum, grassante dysenteriâ experto, probare annititur.*

Facta, circa effectum animi pathematum, tempore paroximi podagrici, allegata, ut et illud singulare, podagræ

inopinantur curatæ, subsequente hæmopthysi, pro sat curiosis habui: ad hunc articulum effectus sæpe salutares, fluxûs hemorrhoidarii cum podagra alternantis, quos plures auctores annotarunt, desiderantur.

Cum sæpe hos morbos alternare, et unum alterum retardare vel quandoque integre discipare videamus, nonne opinio cel. Culleni *inde aliquo modo fulcitur? Scilicet quod causa proxima podagræ in certa sui generis diathesi plethorica consistat quæ primario ex ipsius corporis intima structurâ et certa morbidâ mobilitate nervosâ peti debet?*

Alio loco factum aliquod singulare memorat, alicujus ægroti qui à podagrâ liberatus est, postquam materiem accidam fortissimam evomuisset (1). Cui addi potest exemplum, mitigati paroxismi podagrici, per vomitum æruginosum, quod in consiliis Medicis Rolfingii *(p. 804) legitur.*

Rapido nimis calamo, in hac prima parte auctor delineat magnam illam analogiam, quæ podagram inter et calculam exstat. His auctoris allegationibus opportunum judicavi sequentia addere, quæ tamen Doctorum judicio totaliter submitto.

---

(1) *Med. Obs. and. inquir, tom. I, pag.* 42.

Hæc est quæstio : Frequenter calculosi fiunt podagrici et podagra sæpe format, non solum nodos et tophos versus articulos, sed et calculos renales et vesicales. *Petitur an ideo acre sui generis, smegmatis calculosi, naturæ, quod ante insultum podagricum humoribus semper inesset et quod ex certis circumstantiis ad articulos vel alias partes, puta renes vel vesicam, determinaretur, pro vera causa proxima podagræ habenda sit? Sane hæc consequentia legitima non videtur.*

PRIMO. *Generatim animadvertimus crebrius ex podagra calculum prognasci, quam illam ex hoc. De hac phenomenum commutatione legi possunt quæ in* Sydenhami, Ramazzini, Cheinii *et* Murrayi *operibus annotata sunt.*

SECUNDO. *Optimâ sanitate fruentes homines, subito podagra corripiuntur absque ullo indicio alicujus acrimoniæ previè existentis, et symptomata inflammationis articulorum, tempore paroxismi podagrici existentia, similia non sunt his, quæ ab acri quodam oriuntur, sed naturæ* Phlegmonodis *dictæ, seu verè inflammatoriæ reperiuntur.*

TERTIO. *Materies nodosa et tophosa articulorum, non nisi in inveterata*

podagra locum habet, et sub morbi primitiis formatur numquam: hæc materies igitur habenda est ut morbi sequela, nullatenus pro causâ mali.

Partes organicæ qualescumque, ab insultibus podagricis persæpe affectæ, videntur acquirere certam morbosam organisationem, quâ aptæ fiunt elementa terrea detrita, sanguini naturaliter inhærentia, ab hoc segregare. Non secus ac alia organa secretoria morbosa facta, aliud quam in statu naturali liquidum, ex genuino sanguine hauriunt.

Organisatio illa morbosa initio diathesis podagricæ locum habet numquam, sed per tempus et varios insultus acquiritur, et acquiri potest in omnibus organis. Itàque non semper peculiarem nisum vis podagrica in renes infert, concretiones calculosas efformando, sed et illa à prima sede quasi repulsa, dum vidit æger, circa pectus, abdomen, caput etc. molesta symptoma creat, dum post mortem non raro calculosæ concretiones, ibi locorum prognatæ, sese prodeunt.

Lectu digna est historia. Ducis Aurelianensis, *quam ex narratione celeb.* Guettardi, *celeb.* Herissant *recenset; dux nimirum artriticus ex retrogrado malo tussim primo persensit, quæ eodem*

gradu increvit quo nodi in digitis formati, sensim decrementum ceperunt, iis vero omnino evanescentibus, successit magna spiranda difficultas, cum ejectione è pectore purulenta, qua dein suffocatus princeps periit. Inciso cadavere, pulmones tuberculis cretaceis, instar tophorum podagricorum pleni reperti sunt.

Ego jam pluries vidi hæmopthysim hæreditariam circa decimum septimum vel decimum octavum ætatis annum, absquè aliquo prævio artritidis, symptomate, subito evolutam, quæ postea in phtysim calculosam fuit commentata.

An in hoc casu acris calculosa materies, quæ in progressu morbi tantum apparuit, pro prima hæmopthysis causa statuenda est? Certe non videtur.

An forsan experimenta chemica cum materia nodosa et tophosa calculorum humanorum, tentata, quæ in hoc opusculo curiosa et lectu digna reperiuntur, aliquid circa primariam podagræ causam demonstrant? Hæc iterum effectum non causam morbi stabilire solum videntur. Et si cognitionem illius morbi absconditi semel sperare liceat, illam à medico observatore et non à chimico expectandam judico. Si à sola causa

externa partes organicæ molles, solâ mutatâ humorum determinatâ naturali circulatione, durescunt; si ab ictu, lapsu, vel aliâ causâ externâ schyrrhi durissimi, solo determinato humorum naturalium morboso affluxu in corpore humano generantur; si sola ætate durescunt partes molles; si quod caro fuerat, cartilago fit et hæc in osseam substantiam commutare valeat; si inflammatio alicujus organi, puta v. g. pleuritis, in duras membranarum concretiones persæpe desinat; si calculi in omnibus partibus corporis, nequidem corde et cerebro exceptis, reperti aliquando fuerunt; si similes partes constitutivæ calculorum humani corporis, analysi chimicâ ex nostris humoribus extrahi valeant, dum tota earum differentia in plus vel minus consistat; si in vesica urinaria post mictum cruentum, grumus sanguinis in ipsa derelictus, sola attractione urinam decomponere et nucleum, primo calculi rudimento formare aptus sit, etc. etc. Quare his omnibus consideratis, sola sui generis plethora, vel certà sanguinis qualitas, quæ à certa systematis nervosi mobilitate ut sanguinis circulationi primario imperans, directe dependet, et quæ ob peculiarem

podagrici propensitatem in pedes potius, quam in alias partes irruere debet; quare dico sola hæc impulsio non esset capax, iteratis insultibus, formare ad articulos, nodos et tophos, sine aliqua peculiari acrimoniâ sic dictâ podagricâ in corpore præexistente.

Huic opinioni pondus addunt, mirabiles podagræ effectus, queis aliquando in alium morbum, pure nervosum, convertitur, nec postea amplius redit (1); *in his casibus videtur sistema nervosum sufficienter immutatum, ut regenerationem periodicam diathesis podagricæ, valeat impedire.*

In hac prima operis parte, auctor ulterius præcipua, quæ circa indicationem prophilacticam ut et curatoriam à veteribus et recentioribus practicis tentata fuerunt remedia tam proficua quam nocua, succintè allegat. Inter illa peculiariter damnat opiata et amara, ipsiusque corticis peruviani usum, hocce tempore in nostra patriâ forsan nimis familiarem, ad mentem Culleni, *ut valde nocivum existimat.*

Veterum aliqui et inter recentiores cel. Portal *usum mercurialium laudarunt;*

---

(1) *Vide meam Epistolam in fine operis.*

auctor noster illa sine metu tentari posse annuit. An in quibus mercurialia profuerunt, casus illi, complicationes morborum artriticorum cum syphillide, vel an hæc degenerata et morbos artriticos vel rheumaticos simulans, medicos forsan non deceperunt? Saltem hæc mea est opinio et praxis edocuit; quare in verâ podagrâ non complicatâ remediis illis, ut summe debilitantibus, ego uti ausus numquam fui.

Plurimis factis à diversis summæ notæ auctoribus allegatis, demonstrat, auctor, quam periculosa sint tentamina quibus paroxismum podagricum, per immersionem membri podagrici in aqua frigida dissipare aliqui suadent. Itidem pulticula et balnea tepida secundum Sydenhamum *ut potius nocua vel saltem inutilia spernit. Ipse auctor pannum laneum mollissimum vulgo* la watte *perspirationem salutarem partis affectæ, dulciter promovens, omnibus aliis topicis merito præfert; usum tamen antiquitus laudatum sanguisugorum, parti affectæ applicatorum, sub paroxismo maximè dolorifico propriâ experientiâ confirmat; dum simul effectus perniciosi, qui à repercutientibus vel opiatis topicè adhibitis sub paroxismo,*

oriuntur, per exempla plura satis memorabilia enarrat. Hoc loco merito in circulatorem aliquem invehitur, qui spreta auctoritate Medicalis Jury, arcanum sic dictum antipodagricum publice vendere et per urbes et pagos distribuere audet. Revera talis tolerantia in artis opprobrium, et in ægrotorum detrimentum cedere quis medicinæ gnarus dubitabit. Et detur illis arcanis, certis sub circumstantiis administratis, virtus fortuita medicatrix, quid inde? Erunt in manu pistoris, ut scalpellum chirurgicum in manu barbitonsoris. Verum admodum inutile foret hodie, his fraudibus resistere velle; abusus hic, qui credulitate vulgi et sceleratâ medicastorum aviditate invaluit, certâ quasi incuriâ tolleratur, dum nobilis ars medica vilipenditur, cordati medici negliguntur, et quidem dum difficillimis hisce temporibus, tanta publicæ valetudini pericula impenderunt, pro præstito munere vituperantur.

In secunda operis parte *auctor omnes podagræ anomalias variis auctoribus et propriâ experientiâ observatas, enumerat; inter quas, plures admodum raræ reperiuntur. Demonstrat quod vix ullus morborum fomes existat, tot et tam*

varias mirasque scenas in corpore humano producens, ac podagricus, quippe qui, dum pristina et propria superficiei corporis latibula derelinquit et in ejus intima penetrat, apoplexiam, cephalalgiam, anginam, item tusses pertinacissimas, pectoris oppressiones, hæmopthyses, porro tormina, digestionis ciborum vitia, profluvia alvina, item convulsiones, affectiones hypochondriacas et hystericas, melancholiam, paralyses, vitia verendorum; aliaque multiplicis generis et eventûs, mala suscitat.

Habet id quoque illud malum vitii, ut cum cel. Murray *sæpe experti sumus, quod pluries aliis naturâ multo dissimilibus morbis sese associet, eorumque decursum et medelam valdopere mutet, et eò difficiliorem reddat, quod contra duplicem hostem diversissimis subinde armis pugnandum sit, et tanto magis metuendum, quum larvatam sæpe faciem præ se ferens, alios maxime discrepantes morbos mentiatur, et post longas inducias et reconciliatam, ut videretur, amicitiam, ex recessibus suis prosiliat, et hominem specie vel sanissimum et robustissimum, enervatum prosternat.*

Inter varias quas morbus hic aliquando induit larvas, una præsertim ex

his maximam meretur attentionem et quam auctor in suo opusculo nimis leviter tangit, illa scilicet, quæ sub specie morbi gonorrhaici prodit. Nullus morbus, ut merito prædictus cel. Murray *animadvertit, et quod sæpe expertus sum, fere molestior cognituque difficilior est, quoad originem, quam qui, ex eodem fonte ad verenda conversus, affectiones aphrodisiacas in viris quandoque æmulatur: nascitur inde facile contagii venerei concepti suspicio, quod si in matrimonio contingat, ambigua evadit, apud maritum affectum conjugis ut ut insontis, fides, et hinc sæpe totius reliquæ vitæ tranquillitas et beatitudo in transversum agitur; æger autem doloroso, spurco et ancipiti morbi genere correptus, ut famæ prospiciat, sæpe sua quæ patitur mala, recondit et ad ignaros medicastros confugit, qui veræ originis inscii, temerario consilio, morbum mercurialibus, balsamicis adstringentibus tractant, in summum ægri detrimentum. Aliquando hæ affectiones tam perigrinum et reformidandum habitum induunt ut et scientem et exercitatum medicum decipiant.* Nonne serum illud fœtidum è pene exsudans in blennoragià. podagricâ, potius à phlogosi

balani et inde glandulis cebaceis morbose affectis, quam ab acri peculiari podagrico reputandum est?

A casibus illis, non adeo raris, distingui debent affectiones illæ catharrales, quæ in membranam mucosam viarum urniariarum totam vim exerunt, et quæ quandoque ad instar epidemiæ grassantur. Ita legitur in (Basii, Observ. Anat., Chir. et Med., pag. 286) *singularis aëris constitutio, quâ ex æstu fervidissimo in tempestatem humidam et frigidam mutatâ, plures homines simul gonorrhæâ, absque ullo contagii vitio, correpti fuerunt. Similes observationes annotavit* Morgagni (de sed. et caus. Morb., Epist. XLI, art. 9). *maximè memorabilia sunt à cel.* Noël (Journ. de Méd., tom. LI, pag. 336 etc.), *narrata exempla, qui in oppidulo quodam Galliæ, æstate an.* 1769 *sexaginta fere homines viros et fœminas, omnis ætatis et temperaturæ vidit, eodem fere temporis momento absque ullius culpæ suspicione, profluvio hoc correptos; haud aliter ac catharrus epidemicus in numerosissimos homines eadem vespera primam vim infestans exeruit (Lentin,* Beobacht einig Krank. am oberharze, pag. 9). *Ita quoque apud* Metzger (Verm. Medic. schrift. v. I, pag. 92) *casus legitur viri frequenter*

catarris capitis et vicinarum partium obnoxii, in quo bis viride profluvium ex mentulâ cum phymosi contigit. Memorantur præterea febres variæ, quarum sequela hæc labes fuerat (*Ofterdinger*, Anleitung für d. Landvolk, pag. 475, ed. 1773). *In istis igitur morbis videtur irritamentum quoddam acre ex massa humorum ad verenda fuisse depositum, quod à verâ podagrâ distingui debere videtur.*

A morbo podagrico gonorrhœam æmulante cel. Murray *etiam distinguere vult alias causas, quæ vi mechanicâ partes genitales immediatius feriunt; hujus generis est calculus vesicæ, qui aliquando stillicidium simile creat* (*Plenck*, de Morb. Vener, pag. 24).

Ita quoque aliquando eundem effectum producunt hæmorrhoides interceptæ, in quibus dum sanguis per anum ob resistentiam vasorum prodire nequit, partim communione vasorum, ad virilia profluentium, partim consensuali stimulo circa annum enato, mucosa eluvies ibidem transcolatur.

Alia gonorrhϾ species distinguenda, quæ in sano homine à repetita nimis vel nixu effreno peracta venere oritur; pertinax tamen non raro et curatu difficilis, præcipue si onaniæ nefandum vitium in

deliciis fuerit (*Murray*, de Artrit., p. 177).
Æque certè lencorrhœam mulierum, etsi virus venerei omnis expertem, accusamus, quippe quum constet quantum molestiæ illa subinde mulieribus ardore, excoriatione, dysuriâ etc. adferat.

Præcipuas has causas hic indagare utile duxi, ne ignorantia causarum adeo sæpe absconditarum in medici dedecus et ægri periculum cedat.

In tertia et ultima operis parte, *auctor divisionem podagræ irregularis, in* atonicam, retrogressam *et* deviam *secundum cel.* Culleni *doctrinam, admittit. Merito ibidem admonet in anomala podagra morbos vere inflammatorios omnis generis sæpe observari, qui venæ sectione ut primario remedio indigent; illam doctrinam ex scriptis cel.* Musgraeve, Barthez, Wintringam, Darwin *et* Van Swieten *probat.*

Indicationi prophilacticæ, octo generales regulas præmittit.

In morbis capitis, apoplexiâ, vertigine cephaleâ, delirio etc. *à podagrâ anomala oriundis, venæ sectioni admodum favet. Indicationem illam et ab ægri viribus, corporeâ ejus constitutione, et morbi symptomatibus, potius erui oportêre mihi videtur; in quibus casibus dubiis, nimium*

fortè venæ sectioni, indulgent aliqui. In peripneumonia et pleuritide podagrica cum majori ratione venæ sectionem premittendam judicat.

Ad articulum phtysis *quasi per transennam, novum pro hoc morbo fere incurabili, tentandum remedium, quod jam diu in diariis medicis laudatum fuerat, proponit. Consistit id ex sequentibus.*

Sachar Saturn gr. 1.

Tinct opii scrup. 1. Nicthemeri spatio sumendum. *Quo usque medicamentum hoc prodesse valeat, ignoro; ego quidem illud pluries in Nosocomio civili sine ullo successu tentavi.*

Ad articulum angina pectoris *monet, signa diagnostica hujus morbi non adeo esse certa; ut aliquando vitia hepatis et non cordis, hujus morbi symptomata imitantur. Ego in duobus casibus vasa coronaria cordis post obitum, in naturali statu inveni, saltem ossificationem horum vasorum perspicere mihi non licuit, dum cor et pulmones, ingenti massa pinguedinis, præter naturaliter infarctos inveneram.*

Hæc sunt præcipua quæ ego in opere illo laudato animadverti, vel quæ mihi, illud raptim evolvendo, in mentem inciderunt. Amplum humanæ naturæ et

vitiorum ejus studiosis, auctor aperuit curriculum, per quod mentes suas emittant docti, ut ad egregium præmium, genuinam nempè naturæ podagricæ notitiam, et ad ingens humanorum morborum solamen perveniant. Ut præmium hoc obtineri valeat, multis adhuc, fateor, opus est lucubrationibus, multis experimentis, quæ non nisi tractu temporis, exoptatam affundent lucem.

VALE.

J. van Rotterdam.

Vita brevis, ars vero longa, tempus præceps; experimentum periculosum, judicium difficile. Oportet autem non solum se ipsum exhibêre, quæ oportet facientem, sed etiam ægrum, et præsentes et externa.

HYPPOC. *Aphorism.*, *sect. 1*, *aphor. 1.*

QUÆSTIO

A Societate Medicâ Bruxellensi proposita pro concursu anni 1808.

1.° *Quelle est la nature et la cause des affections connues généralement sous le nom de Goutte?*

2.° *Quelles sont les maladies dont la Goutte prend le caractère, lorsqu'elle est irrégulière dans sa marche, ou lorsque son action ne se porte point sur les extrémités?*

3.° *Quels sont dans ce cas les moyens les plus efficaces, soit comme prophylactiques, soit comme curatifs?*

PARS PRIMA.

Quelle est la nature et la cause des affections connues généralement sous le nom de Goutte?

1. UT quæstionis prima pars enucleari possit, prius inquirendum est in ea, quæ

tum paroxysmum antecedunt, tum comitantur, tum sequuntur. Varius etiam hic morbus videbitur, prout varios invadet subjectos; varius prout in diversâ ejusdem subjecti ætate, diverso anni tempore, diversisque cum aliis morbis complicationibus. Sic facile intelligitur, quod alia omnino cura sit adhibenda in podagrâ, dum ista quempiam adoritur in juventute constitutum, alia dum quadraginta annos natum, alia rursus dum senio confectum.

2. *Podagra*, ac *si capturam pedum* diceres, vocatur dolens admodum ægritudo circa ligamenta ossium pedis, et circa juncturas horum, *vere* et *autumno* maxime revertens. Gutta *(goutte)* ab aliquibus vocatur, cum ab humoris cujusdam stillicidio eam oriri putarint.

3. Hic morbus dum recens est, ordinarie tantum pedes invadit. Verum post aliquot paroxysmos non solum hos, sed genua et manus, et tunc *gonagra* et *chiragra* rectius diceretur; imo omnes articulos indiscriminatim aggreditur: quin imo *Sydenhamus* notat (*a*) « post omnia nares et » aures et labia inficiuntur. » Id ipse in homine macilentissimo et debilissimo observavi. Jam recentissime in homine

(*a*) De Causis et Signis Morbor. diuturn., lib. II, cap. 12, pag. 66.

crasso et robusto, jam pluries podagrâ correpto, pœnem eâdem (podagrâ) inflatum vidi adeo immensum in modum, ut certò crassior esset, quam ordinarie esse solet in statu erectionis voluntariæ, qui statim subsedit, dum materiem podagricam ad pedes per cataplasmata emollientia calida determinare potuerim.

4. Et *podagra* et *arthritis* et *rheumatismus* sub generali *arthritidis* nomine non raro designabantur. Immortalis enim *Boerhavius* non memorat in scriptis suis rheumatismi, et tantum postquam crudelis morbi pænas solvisset, tractatum de eo conscripsit. *Heberden* adhuc sub nomine arthritidis podagram designat (*b*). « Rheumatismus certe propinquâ cognatione conjunctus est cum arthritide, et solet seorsim invadere pueros, arthriticis majoribus ortos, tamquam esset *tou smikra tes podagras myseria.* » Et alio loco (*c*): «Et veniet forsan dies cum remedia refrigerantia judicabuntur non tam perniciosa esse in arthritide, neque in rheumatismo tam utilia, quam vulgo feruntur, et proinde morbi utriusque curationes ad se invicem propius accedent.»

(*b*) Commentarii de Morborum historiâ et curatione, pag. 342.

(*c*) Ibid., pag. 55.

5. Quod hic *Heberden* notat de pueris arthriticis majoribus ortis, et in praxi meà pluribus exemplis compertum habeo. Civem honestissimum et simul ditissimum nosco, jam plurimis annis podagricum, cujus soror crudelissimo rheumatismo æque æstate ac hieme jam per plures annos cruciatur, et incedere non potest nisi claudicando. — Fratrem cum tribus sororibus domum paternam simul inhabitantes, omnes rheumatismo affectos novi, cum tamen pater podagrâ laborâsset genuinâ.

6. Ut ut isti morbi similes vidêri possint, tamen ita inter se distinguuntur: arthritis incipit cum febre continuâ, diutius durat, omnes indiscriminatim articulos invadit, et raro revertitur; podagra autem pedes (saltem primis vicibus) ferit, et nihil minus opinantes occupat: rheumatismus loca inter articulos media aggreditur, et initium sumit cum febre continuâ.

7. Dividitur podagra in *calidam* ac *frigidam; calida* sæpe febrem primis diebus conjunctam habet, quam sequuntur acerbi dolores: afficit mediæ ætatis homines, plethoricos, biliosos, spirituosis deditos. *Frigida* sine febre, sine calore molesto, in cachecticis, senibus

debilibus fieri consuevit. Distinguitur etiam in *hæreditariam* et *acquisitam*: in *regularem* et *anomalam*. *Exquisita* dicitur podagra, dum dolentissima observatur absque ullo tumore partis affectæ, absque mutato cutis colore, qualem ego dum hæc scribo sustinui. Nonâ junii circa occasum solis tantus exoriebatur in pede dextro dolor, ut omnis somnus totâ nocte longe abesset: impatiens circa quartam matutinam chirurgum amicum accersêre jubeo, qui duodecim hirudines pedi dolenti imponat: hæ gravem etiam causant dolorem, verum hic et prior dolor brevi cessant, et totum video intumescere pedem, qui tumor paucos post dies cum podagrâ evanuit.

8. Symptoma quod pro secundâ et hac vice jam in me observavi, et cujus nullam in authoribus mentionem inveni, silentio præterire non possum: est dolor quidam satis acutus, duobus circiter digitis transversis infra inguen correspondens pedi affecto, tactu et motu maximè augendus: glaudulas lymphaticas per celeberrimum *Cruysschank* in iis locis demonstratas, tumefactas et dolentes distinctissime sentiebam. An forsan a materiæ podagricæ resumptione? Id probare videntur glaudulæ, quas sub axillis tam

sæpe inflatas et dolentes observavimus olim in variolarum insitione, et nunc in vaccinatione.

9. Licet prima invasio nil minus opinantes occupet, sic ut sani lectum ingressi, mediâ nocte præ dolore evigilent, tamen sequentes non raro prævideri possunt, et per septimanas ex ventriculi pathematibus, et cruditatum indiciis, corporis (*d*) quoque intumescentiâ quasi ventosâ, et gravitate, quæ indies augetur, donec tandem detonet paroxysmus, quem paucis diebus præit torpor, et quasi flatuum descensus per femorum carnes cum affectione *spasmoeidei*; tum etiam pridie paroxysmi appetitus voracior, non tamen naturalis.

10. Hæc *Sydenhami* observata confirmat celeberrimus *Lacoste* (*e*) podagrâ hæreditariâ laborans, qui observavit lacrymas copiosas, involuntarias et acres depluere dum instat paroxysmus, uti et quod urinæ per plures dies prodeant pallidæ, aut et subturbidæ, fere instar potûs sic dicti limonati. Hisce signis optimo jure adjungitur tristitia quædam et iracundia major, itemque major in venerem prurigo.

(*d*) *Sydenham*, de Podagrâ, pag. 546.

(*e*) *Traité pratique sur la Goutte*, *page* 58.

Prævideri etiam potest ex sudore pedum solito intercepto, et horum varicibus.

11. Podagra ordinarie invadit verno tempore citius aut tardius prout vernalis calor citius aut serius excipit hiemale frigus, vel prout corpus plus vel minus frigoris et caloris vicissitudinibus exponitur. *Sydenhamus* vero primam podagræ invasionem ponebat exeunte januario, ineunte februario, quod omnino quadrat observationi in me ipso factæ. Primam invasionem quintâ januarii 1791, secundam septimâ januarii 1792, et quartam secundâ februarii 1800 observavi.

12. Sanus lecto somnoque commissus horâ post mediam noctem secundâ excitatur a dolore pollicem pedis sæpius occupante, quandoque calcaneum, suram aut talum. Communiter sequitur rigor cum horrore et febricitatione aliquali: dolor autem hic primo remissior gradatim intenditur (pari passu rigor et horror recedunt) idque in singulis horis, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, circa secundam scilicet (decursu nimirum nychthemeri spatio a primo appulsu paroxysmi), quo tempore gradualiter remittit, et quasi subito a dolore respirat. Jam leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans dolore multum

imminuto, partem affectam tumore et rubore recenter occupatam cernit. Id per aliquot cum duraverit dies, gradatim evanescit.

13. Licet violentia doloris post primum nychthemerum remiserit multum, tamen ab eodem penitus non est liber æger. Nam singulo vesperi major dolor et febris redit, quæ continuant cum majori vel minori vehementiâ usque ad secundam vel tertiam matutinam sequentem. Post aliquot dies aliquando ita paroxysmus finit, et non nisi post longum temporis intervallum redit. Paroxysmo finito, ordinarie meliori perfruimur sanitate, majori facilitate in negotiis obeundis, pariterque auctâ mentis alacritate.

14. Dum morbus est recens, paroxysmi singulo tertio vel quarto anno tantum recurrunt, sed sensim intervalla diminuuntur, et tandem singulo anno redeunt, quin imo bis in anno, vere et autumno; tandem sæpius eodem autumno, hieme et vere recrudescunt: dum ita frequentiores fiunt paroxysmi, illi, qui initio, dierum solebant esse quatuordecim, etiam fiunt longiores; in senioribus atque iis, quos sæpius afflixit, duorum mensium; iis vero, qui aliquot annis fuerunt podagrici, non prius valedicit

quam æstas adultior eam fugaverit. Novi tamen quosdam, qui toto hiemis, veris et autumni tempore à podagrâ liberi, eâdem afficiuntur ardente syrio. Attamen hi casus omnino rari, et a *Sauvagesio* sub podagræ anomaliis reponuntur.

15. Ad quatuordecim primos dies urina est coloratior, quæ postea sedimentum rubrum, et quasi arenulis refertnm deponit, nec æger ut plurimum nisi tertiam, quam assumpsit, partem per vesicam reddit; alvus itidem ad dictos fere primos dies constipata est: appetitûs prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non affectarum gravitas et molesta sensatio integrum paroxysmum concomitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus maxime inter digitos, unde decidunt furfures, et pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquammantur.

16. Morbi augmentum etiam ex partibus affectis observari potest. In initio alteruter pes ordinarie tantum dolet, postea uterque, unus post alterum. Posterius non tantum ambo simul afficiuntur sed redit ad pedem, qui prior afficiebatur, et quandoque ad illum qui ultimo affectus fuit. Deinde non solum ab uno ad alterum pedem transire notatur, sed et ad

alias corporis juncturas, puta ad genua, manus, carpos, cubitos etc. ita ut vix in corpore toto articulatio existat, quæ unâ vel aliâ vice non sit afficienda. Quandoque duas articulationes eodem tempore adoritur, ast rarius; communiter tamen unicam unâ vice, verum et crudelius urit, et successivè ab unâ ad aliam, et sic dolores in longissimum tempus protrahuntur.

Animadvertendum autem est, ubi quis ad multos annos podagrâ laboraverit, dolor singulis paroxismis gradatim imminuitur, tandemque ægritudine potius, quam dolore conficitur.

17. Post primum paroxysmum membra affecta integre restituuntur et mobilitatem ac fortitudinem pristinam recuperant; verum post repetitos paroxysmos, qui nunc longius durant, non amplius pristinum statum acquirunt, sed debilia fieri et rigescere incipiunt, et tandem omnem mobilitatem deperdunt.

18. Post frequentes paroxysmos in quibusdam podagricis observantur concretiones calcareæ, *nodi* vel *tophi podagrici* dictæ, quæ ordinarie in externâ articulationum parte, et quidem immediate sub cute conspiciuntur. Materia hæc calcarea ibidem sub formâ liquidi deponi, deinde per absorptionem fluiditatem amittere et formam solidi accipere videtur. Hi tophi

cum aliis causis juncti non parum contribuunt, ut omnem articulorum mobilitatem destruant.

19. Quoad ætatem omnes fere authores unanimiter consentiunt, quod podagra non aggrediatur ante veneris usum. Jam hoc notaverat *Hyppocrates* (*f*) : « Puër » non laborat podagrâ ante veneris usum.» *Cullen* asserit, quod non invadat nisi post triginta quinque annos et quidem aliquando serius. Dixerat et *Aretæus* : « Ætas autem huic morbo subjecta est » a quinque annis supra triginta, celerius » quoque aut tardius ex cujusque naturâ » et vivendi ratione. » Eadem est opinio *Sydenhami*, qui tamen addit : « Non-» nulli tamen mihi noti sunt, qui prius-» quam maturam ætatem attigissent, le-» viculam aliquam velitationem præsen-» serant, quorum nempe patres etiam » tunc hoc morbo tenerentur, cum iis-» dem generandis operam darent. » Sic novi jurisconsultum, qui ante ætatis suæ annum decimum et sextum, jam hoc morbo vexatus erat. *Barthez* (*g*) dicit, quod omnino rara podagra in juvenibus observetur, nisi sit hæreditaria et in tali casu ante pubertatem puer affici poterit.

(*f*) Lib. VI, Aphor. XXX.

(*g*) *Traité des Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 18.

20. Legimus apud *Coum Patrem* (*h*) « Mulier non laborat podagrâ nisi men- » ses ipsi defecerint » licet strictissimo sensu hic aphorismus non sit accipiendus, tamen « raro fœminæ, ait *Quarin*, poda- » grâ afficiuntur, rariusve e viris maci- » lenti. » *Sydenham* id idem confirmat: fœminas tantum raro admodum podagrâ infestari, et tantum vetulas ac viragines, quæ masculorum habitum æmulantur. *Heberden* (*i*) duas dicit se vidisse hoc morbo correptas, sed adjungit quod morbus esset in familiâ hæreditarius, quod omnino quadrat cum illustrissimi *Van Swieten* observatis.

21. Quod rarius fœminæ podagrâ afficiantur, nullatenus provenit, ut quidam putavêre, ex eo quod materia podagrica ex toto aut per partes per menstrua eliminetur, sed potius a laxiori fibrarum structurâ, et majori systematis mobilitate, quibus gaudet sexus amabilis uti demonstravit *Corvisart* (*k*). E contra quantum ad podagram contribuat solidorum rigiditas passim annotârunt authores.

(*h*) Lib. VI, Aphor. XXIX.

(*i*) Comment. de Morbor. hist. et curatione, pag. 32.

(*k*) *Essai sur les Maladies organiques du Cœur*, *page* 474.

22. Ob eamdem rationem et junior ætas podagræ non ita subdita est, quin imo secundum *Bichat* (*l*) quo junior est infans, eo tenuior est membrana synovialis, et synovia est minus unctuosa, et minoris consistentiæ. Observavit in sene membranam synovialem magis densam et clausam, quin imo color ejus albus per ætatem mutatur in cineritium. Rigiditas, quam (synovialis) senio contrahit, non parum contribuit ad mobilitatem partium diminuendam.

23. *Rarius e viris macilenti.* — Hic excipe tamen hæreditarie dispositos, uti et probat exemplum superius allatum, ubi hominem me vidisse, aio, macilentissimum, hæreditariâ podagrâ affectum, cruciatum in omnibus corporis partibus, quin imo in labiis, naso, oculorumque palpebris.

Boerhavius, ejusque commentator *Swietenius*, præ aliis ad podagram dispositos affirmant, quibus est corpus magnum, crassum, plenum. *Barthez* longius procedit dum dari quamdam physionomiam, podagricam asserere non dubitat.

24. Podagram etiam dividi in hæreditariam et acquisitam jam vidimus. Nonnulli tamen sunt, iique recentiores ut

---

(*l*) *Anatomie générale*, *tom. IV*, *page* 561.

celeberrimus *Louis*, chirurgiæ Gallicæ decus, *Cadogan, Erasmus Darwin* etc. qui negant morbos existère hæreditarios. Ast illos refutando hic non immorabor: hæreditariam labem ut primam podagræ causam affirmare non vereor cum *Cullen, Sydenham, Lacoste, Boerhaave, Van Swieten, Barthez* etc. Cui superest dubium, adeat *Swietenii* Commentaria in *Boerhaave*, et ubi agit de podagrâ, victricia perlegat argumenta, quibus opinionem editam nititur stabilire.

25. Nunc ad alias causas, quæ aut podagram hæreditariam excitare aut acquisitam producere valeant, transeamus. Inter has primum locum obtinet *Venus præmatura, nimium culta*, uti monent *Sydenham* et *Lacoste*. *Van Swieten* dicit se vidisse plures, qui a primâ pubertate inceperant nimiâ venere vires exhaurire, ante trigesimum ætatis annum, jam miserrime podagricos, omnem fere pedum et manuum usum amisisse, licet sanissimis nati parentibus, sobrie satis vixerint in reliquis. Sic novi medicinæ studiosum jam a vigesimo secundo ætatis anno per hanc causam podagricum, qui se hæreditarie dispositum ad hunc morbum negaret. Ex *Sanctorio* ratio facti dari potest; nimirum quod non solum vires

concoctrices stomachi nimium a coitu debilitentur, sed quia secundum ejus computum insensibilis perspiratio per horæ quadrantem ad singulum coïtum supprimatur: postea videbimus quomodo et ab insensibili perspiratione suppressâ podagra nasci possit. Hæc etiam communis erat veterum opinio, uti patet ex *Aëtio* et *Hyppocrate*, qui et impuberes et eunuchos ideo ab hoc morbo liberos pronunciasse videtur, quod ad venerem apti non forent. « Puër non laborat podagrâ » ante veneris usum » (*m*). « Eunuchi non » laborant podagrâ, neque calvi fiunt » (*n*).

Eunuchos tamen podagrâ vexari experientia docuit; ast id ex aliis causis provenire posse nullus dubitat.

26. *Abusus in Baccho.* — Sunt inter recentiores ut *Erasmus Darwin* qui omnem podagram huic causæ adscribere vellent. Licet huic opinioni multas ob causas nequaquam assentiri queam, tamen Bacchum inter præcipuas podagræ causas ponendum haud negaverim. Quidam auctores maximam noxam adscribunt vino. *Lacoste* citat in exemplum *Champaniam*, provinciam veteris *Galliæ* ubi nosocomia sunt repleta podagricis. Illustrissimus

(*m*) Lib. VI, Aphor. XXX.
(*n*) Ibid., Aphor. XXVIII.

Van Swieten huic opinioni omnino assentitur (*o*): « Olim apud *Batavos* fru-
» galis mensa in more erat, et potus com-
» munis cerevisia sola, non tantum dilu-
» tior illa, quâ ad sedandam sitim uteban-
» tur, verum vesperi post diuturnos labo-
» res forti et generosâ delectabantur: vini
» usus rarus erat, etiam apud illos, quibus
» nullo modo res angusta domi. Raris-
» sime autem podagrâ laborabant, qui
» tali victu utebantur; e contra longe
» plures hoc morbo afflictos vidi, post-
» quam vini largior usus increbuit, et
» lautiores a generosæ cerevisiæ usu fere
» integre abstinuerunt etc. » Et cerevisiam ita ab omni noxâ defendere videtur. Certum tamen est, quod et cerevisia etiam ansam præbeat podagræ, uti vidêre est apud *Lovanienses*, et priscos cænobiorum, huic urbi adjacentium, incolas, ubi minimus usus vini, latissimus cerevisiæ, et tamen podagra dominabatur in amplissimâ formâ.

27. An forsan cerevisiæ *Brabanticæ* plus aliquando ad podagram contribuunt, quod triticum majori copiâ in illis formandis adhibeatur? An eadem ratio quem celeberrimus *Barthez* ex *Musgraeve* allegat (*p*)

(*o*) Comment. in Aphor. Boerhav , §. 1255.
(*p*) *Traité des Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 42.

« quod centum annis antequam hæc scri-
» beret, parum aut nihil calcis adhibere-
» tur in agriculturâ in comitatu *Devons-*
» *hire*, et quod tunc temporis podagra
» omnino rara ibidem esset. Sed quod
» eâ proportione, quâ usus calcis in cul-
» tivandis agris incresceret, eâdem etiam
» numerus podagricorum augeretur.» Non
hic invocari posset, cum agricolæ *Bra-*
banti et præcipue *Wallones*, qui maxi-
mam partem tritici Lovanium adducunt,
maximâ copiâ calcis vivæ in agrorum cul-
turâ utantur?

Non alienus ab hac opinione videtur *Alphonsus Leroy* (*q*): «Quod certe mi-
» rum videbitur, est quod podagra plus
» observetur apud illos, qui manducant
» panem confectum ex tritico, nato in
» terris, quæ cultivantur calce (*dans des*
» *terres marnées ou fumées de la chaux*.»

28. Hic referri potest quod citat *Alexander Benedictus de Verone* ex *Foresto*:
« Quod in *Candiâ* ubi in adulterandis
» vinis calx et gypsus adhibetur, extranei
» etiam fortissimi nequeant per quosdam
» annos bibere istud vinum, quin poda-
» grâ articulari vexentur, ita ut manus
» et pedes crispentur cum nodis. »

(*q*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans*, *page* 26.

29. Non solum grana, ut triticum jam dictum, videntur quasdam proprietates calcis acquirere dum crescunt in agris calce stratis, verum gramina seu herbæ videntur posse acquirere vim purgativam a locis in quibus crescunt. Sic *Bibliotheca Britannica* pro mense junio currentis anni, referens extractum ex *Essais Medical, Philisophal and Experimental of Dr. Thom. Percival,* observat, quod mare extraordinarie fœcundet paludes quas inundat, et quod equi, aliaque animalia ut boves, vaccæ etc. qui ibi ad pascendum conducuntur, a gramine ibidem pasto purgentur: idque deducitur a partibus salinis aquarum maris.

30. *Linnæus* etiam rusticos in suëciâ a podagrâ immunes existimat, quod vino non utantur, sed cerevisiam hauriant, quamquam tamen satis magnam copiam spiritûs frumenti assumunt. *Lacoste* autem podagram adeo familiarem credit in gente nauticâ apud *Anglos* et *Batavos*, itidemque in militibus *Borussicis*, ob abusum spirituosorum: si nunc abusus spirituosorum in prædictis podagram producere queat, clare patet ab usu spirituosorum etiam nasci posse podagram apud *suëcos*. Altera proinde ratio est, quæ rusticos *suëcos* a podagrâ eximat, ratio

nimirum omnibus rusticis communis; quam *Quarin* optime insinuavit: « At rus» tici nostri et plebæi, toties vino acido abu» tentes, podagrâ vix corripiuntur » (*r*). Insinuat nimirum parum inferius, quod exercitia rustica podagram arcescant.

O fortunati nimium, sua si bona norint,
Agricolæ! . . . .

31. A vino *Champanico* sic dicto *Mousseux-albo* licet non copiose sumpto in cænâ quâdam, sequenti die mane paroxysmum podagræ sum expertus (similem casum refert celeberrimus *Barthez*). Itidem a vino *Burgundico* per duos dies copiosius sumpto, quarto die levem podagræ insultum in manu sinistrâ persensi, ita ut protinus eisdem valedixerim. Vina Rhenana etiam non laudantur et angue pejus in hoc morbo vitanda. Itidem cerevisiæ lagenis aut cannulis inclusæ donec fermentent, vulgo *Germanis* dictæ *bottelbier*, generaliter damnantur.

Non obstante auctoritate summâ *Linnæi*, *Swietenii* etc., qui omnem noxam vino adscribere malunt, cerevisiamque innocuam venditant, asserit tamen *Lacoste*, dari gentes quæ numquam vino utuntur, et pessimâ tamen podagrâ laborant.

(*r*) De Morbis chronicis, pag. 232.

32. *Vita lautior, præcipue si exercitia negligentur.* — Hoc probatur, cum constet quosdam, qui amissis opibus ad summam egestatem essent redacti, tenui victu uterentur, a morbo fuisse immunes; eosdem cum lautius postea, et mollius corpus curarent, rursus podagræ obnoxios esse factos. Hæc fuit opinio *Sancti Hieronymi, Schenkii, Sydenhami* etc. uti vidêre est apud *Swietenium* (s), qui et ibidem narrat historiam canonici, veterani jam podagrici, a pyratis capti, et per integrum biennium triremis applicati, qui eo talem effectum est consecutus, ut postea a captivitate redemptus, nimiâ et molestâ obesitate liberatus, nec umquam amplius podagrâ laboraverit, licet plures annos supervixerit.

Barthez (t) a vitâ lautiore deducit, quod eunuchi podagrâ corripiantur.

33. Huic etiam rationi *Lacoste* adscribit, quod podagrici in tanto numero reperiantur inter sacerdotes, et omnium ordinum religiosos. Citat monasterium Carthusianorum, ubi nullus a podagrâ exemptus erat. Pariter asserit *Quarin* se plures vidisse inter sancti *Brunonis* filios, sævissimâ podagrâ vexatos. An forsan

---

(s) Comment. in Boerhav., Aphor. §. 1255.
(t) *Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 21.

comesus piscium præ cæteris eduliis faveret producendæ podagræ?

34. Non incongruum erit hic addere, quod aliqua fercula suspicentur podagræ excitandæ apta, ut *asparagi*, et *turiones lupuli*, quibus *Trallianus* adjungebat *brassicam*, *nasturtium*, *erucam*, *porrum*, *allium*, quæ omnia alienum reverâ urinæ odorem conciliant. Sunt qui illa nihil mali præstare aiunt, quin imo asparagos etc. ut remedium in hoc morbo præscribunt; dum alii nullatenus dubitant, quin ab esu asparagorum aut turionum lupuli dolores intendantur. Sic a medico amico audivi, qui et ipse podagricus, cujusdam consiliarii summe podagrici erat medicus, qui consiliarius singulâ vice quâ asparagos vel turiones lupuli durante paroxysmo comederet, dolores podagricos ingravescere, se sentire sancte affirmaret. *Josephus Scaliger* annotavit, quod nihil magis ad podagram acquirendam aut excitandam contribueret, quam caseosa.

35. *Ingenium acutum* ab authoribus inter causas podagræ numeratur. *Sydenham* illud pro solatio sibi, aliisque malorum sociis reputabat, quod reges, duces, philosophos idem frequenter afflixerit malum; nimirum libris impallescentes aut sedentariam vitam agentes, exercitia corporis,

âdeo salutaria, negligunt. *Fatuos*, ait *Quarin*, *raro podagra vexat.* — *Van Swieten* refert exemplum insignis mathematici (*v*), cui morbus erat hæreditarius, et qui semper sobrie et caste vixerat, accelerasse morbum, dum difficili problemati enodando se applicuerat diu.

36. *Evacuationes consuetæ suppressæ.* — Jam divus pater dixerat « *mulier » non laborat podagrâ, nisi mensis ipsi » defecerint.* » Hoc pluribus exemplis probat *Pinel* (*w*): inter hæc tamen eminet sequens *Margueritæ Jonias* (*x*): a tenerâ ætate subjecta fuerat sudoribus tam in pedibus, quam in manubus: ab his incommodis eam viginti annos natam liberare desiderans pater, manus immisit balneo, quod constaret ex aceto vini, et immediate postea eas igni vehementissimo exposuit. Reipsâ sudores disparuerunt, sed brevi post dolores persensit in articulationibus, qui ita increvêrunt, ut nunc quinquagenaria non sit per diem a doloribus libera. Noverunt podagrici intra digitos pedum materiam quamdam crassam satis et olidam, etiam dum sanitate videntur perfrui integrâ, colligi, et eâ

(*v*) Comment. in Aphor. Boerhav. §. 1258.
(*w*) *Médecine clinique*, *pag.* 236 *et* 237.
(*x*) *Ibidem*, *page* 239.

disparente paroxysmum sibi instantem pertimescunt, ut propriâ plus semel observatione compertum habeo.

37. *Insensibilis perspiratio suppressa* adeo confert ad podagram excitandam, ut *Dessault, James, Warner* et multi alii, testante *Barthez* (y), affirmarint, eamdem esse præcipuam podagræ causam.

38. *Exercitia neglecta.* — Vidimus jam antea, quomodo rustici duris exercitiis fatigati, etiamsi vino et acidis utentur, tamen podagrici non fiant: sic observamus venatores et piscatores, qui non solum sese exponendo frigori, pedes sudantes subito refrigerando, sed ita rigiditatem solidorum augendo, continuum periculum incurrunt contrahendæ podagræ, sæpe satis longo tempore ab eâ immunes vivere, donec exercitii olim prædilecti nunc pertæsi, vitam agere incipiant otiosam.

39. *Anni tempestas, mutatio cœli.* — *Sydenhamus* statuit, quod exeunte januario ineunte februario, primus podagræ paroxysmus ordinarie ingrueret. *Lacoste* autem, licet fateretur podagram omni tempore, nequidem æstate exceptâ, invadere, eam tamen, ait, esse magis

---

(y) *Maladies goutteuses, tom. I, page* 41.

frequentem vere et autumno, quando cœli mutationes frequentiores esse solent.

Frigus omni tempore podagræ inimicum judicatum fuit. Ita asserit *Van Swieten* « Podagrici levamen percipiunt » ab aëre tepido, unde sollicitè artus te- » gere solent. » Ibidem ex *Heinsio* (z) describit casum junioris, vix triginta annos nati, qui jam manubus, pedibusque a podagrâ præclusus, in *Indias orientales* navigavit, ut insigni ibidem munere fungeretur. Post triennium in patriam redux, solo aëris calore, absque ullo remedio, perfecte sanus, a podagrâ postea liber vixit. Hic non immerito refertur, quod apud *Athenæum* legitur (a) : « *Phytermus* » memoriæ tradidit, ut fert *Ægisander,* » ævo suo moros annis vigenti fructum » non dedisse, et epidemiam podagrico- » rum talem factam fuisse, ut non tan- » tum viros, sed etiam puëros, eunu- » chos, virgines, mulieres is morbus cor- » ripuerit; quin et eam ægritudinem tam » vehementer sæviisse in greges, ut ovium » partes duas ille morbus afflixerit. Cum » autem morus, arbor novissima urbana- » rum germinet, nec nisi exacto frigore,

---

(z) *Van Swieten,* Comm. in Aphor. Boerhav., §. 1258.

(a) *Ibid.*, §. 1255.

» ob id sapientissima arborum, videtur
» concludi posse, insolitum aëris frigus
» adfuisse, quod arthritidi et rheumatis-
» mo producendis faveret. »

40. Celeberrimus *De Haen* observavit.
« Septentrionalem ventum provocasse
» morbum, proinde et mollioris auræ
» afflatum mitigasse eumdem.» Aliquot
diebus ante stolstitium hujus anni æsti-
vum, in ipso solstitio, et aliquot diebus
post id, continuum observavimus ventum
borealem, et paroxysmum sensi unâ nocte
dolentissimum, sed qui brevi evanuit. In
alio podagram observavi anomalam, sed
quæ post aliquot dies et ad pedes et ad
manus prorupit. Apud alium in consul-
tationem fui vocatus, qui paucis post sol-
stitium diebus pro primo podagræ paro-
xysmo et pedibus et genubus, et primis
julii diebus etiam manubus afficiebatur:
insolitum hisce mensibus frigus, ven-
tumque aquilonarem inter primas causas
exstitisse ad hunc morbum tum in me,
tum in aliis producendum, asserere non
vereor.

41. *Pinel* adhuc magis hanc causam
dilucidavit (*b*): non podagram in pala-
tiis, ordinariâ ejus sede, sed in nosoco-
miis, in refugio pauperum tractavit. Sic

(*b*) *Médecine clinique*, *page* 208.

in historiâ fœminæ *Laluhiot* describendâ dicit : « *L'hiver dernier malgré la rigueur* » *du froid, elle fit une course, fatigua* » *beaucoup, sua et reçut la neige sur* » *le corps : deslors les douleurs sont* » *exaspérées . . . . .* »; et paulo inferius » *enfin au retour de l'automne, les dou-* » *leurs sont devenues plus vives, les* » *brouillards les ont rendues intolera-* » *bles . . . .* »; et rursus idem *Pinel* (*c*) : « *Elle porte d'ailleurs plusieurs carac-* » *tères distinctifs de la goutte hérédi-* » *taire ou primitive. La même variété* » *pour le siége et son passage brusque* » *et rapide d'une articulation dans une* » *autre, une disposition marquée à se* » *porter à l'intérieur par une sorte de* » *retrocession, et à attaquer l'estomac,* » *la tête ou la poitrine, mais surtout* » *des retours assujettis à toutes les va-* » *riations atmospheriques.* »

42. Cum autem ab eâdem aëris intemperie frequentes oriri soleant catharri, observavit *De Haen* familiarem esse fere omnibus podagricis quamdam catharrorum cum podagrâ vicissitudinem. Licet enim podagrici ab epidemicis morbis liberi censeantur, tamen catharrorum epidemiæ podagricis minus parcunt; quin

---

(*c*) *Médecine clinique*, *page* 267.

imo permultis ansa fuit recrudescentis morbi. Quidam per vices vel catharro laborant vel articulari morbo. Veritatem utriusque asserti plane in me compertam habeo. Singulo anno, quo podagrâ afficiebar immunis eram a catharris; quo catharris vexabar, a podagrâ eram liber.

Jam tres epidemias *dysentericas* medicus vidi, at numquam eâdem affectus fui, non obstante in ultimâ perdiderim filium tunc unicum, septemdecim menses natum, cui diu noctuque assidebam, enemata administrabam, et sic inadvertenter cannulam ano ejus extractam, immediate ore tenuerim, medicamina, potum, et quæcumque assumere poterat, ipsi ingerebam. Tanta erat vis morbi, ut quarto morbi die fato functum jam lugebam.

Sic *Cabanis* (*d*) notat rheumatismum podagricum, qui jam totâ hieme duraverat, mutatum in catharrum capitis (*rhume de cerveau*) qui per duos annos continuavit, et hoc profligato et profligatus apparebat rheumatismus supradictus podagricus.

43. *Contagium.* — Hic morbus (*e*) non caret suspicione contagii, id quod canes

---

(*d*) *Observations sur les Catharres*, *page* 20.
(*e*) *Quarin*, de Morbis chronicis, pag. 233.

cum podagricis dormientes, vel pedes eorum lambientes confirmant. *Van Swieten* (*f*) narrat casus duos ex *Werloschnigg* « quod duos noverit, quorum unus poda- » grâ laborantis ocreas dono accepit, alter » simili miasmate affectas in foro scrutario » sibi comparavit; ambo paulopost in- » dutis ocreis, crudelissimos podagræ cru- » ciatus passi fuerunt. » Ibidem addit: « Observatum fuit aliquoties uxores sa- » nissimas, dum diu noctuque marito- » rum podagricorum curam gerebant, » eodem morbo postea laboravisse, licet » et multæ aliæ, quæ eodem officio stre- » nue perfungebantur, immunes man- » serint. »

Barthez (*g*) dicit se vidisse exempla plura podagricorum, quorum uxores podagrâ afficiebantur, quam verosimiliter per concubitum in eodem lecto ipsæ contraxerant.

44. *Animi pathemata.* - Refert *Barthez* ex *Stahl* (*h*) qnod observati fuerint casus, ubi terror aut ira tam subitum excitaverint paroxysmum, ut ægri captis pedibus ad lectùm incedere non possent, sed

---

(*f*) Comment. in Aphor. Boerhav. §. 1255.

(*g*) *Traité des Maladies goutteuses, tom. I, page* 19.

(*h*) *Ibidem, page* 26.

ad eumdem deferri deberent. Vide apud *Pinel* (*i*) exemplum *Margaretæ Jonias*, cujus paroxysmus per iram incepit: apud eumdem, casum (*k*) *Joannæ Guichot*, quæ testis ocularis dierum in æternum memorandarum *quintæ* et *sextæ octobris* Parisiis, omnino terrefacta fuit dictis et minis populi ferocis, subito dolorem persensit ad pollicem pedis.

Hocce die in consultationem vocor apud podagricum non hæreditarie dispositum, sed strenuum in Baccho militem, cujus paroxysmus per vehementem iram concitatus fuit.

45. Si itaque omnes causæ præcitatæ (quæ generali nomine sex rerum non naturalium comprehenduntur) podagram producere, aut in hæreditarie dispositis, eamdem excitare queant, nemini dubium supererit, quin eædem causæ paroxysmos accelerare et protrahere possint. Ab amico, viro fide digno, accepi, quod ejus avunculus, summe podagricus, si ausus fuisset vesperi tempore paroxysmi evacuare scyphum vini, nocte subsequenti permaximos pateretur dolores.

46. Podagræ insultus primi in se spectati, plus doloris et incommodi habent

---

(*i*) *Médecine clinique*, *page* 239.
(*k*) *Ibidem*, *page* 242.

quam periculi, et ordinarie diebus quatuordecim finiuntur. Verum paroxysmi, quo sæpius revertuntur, eo diutius durant, et eo plures articulationes afficiuntur. Deinde observavit *Sydenham*, quamdiu vegetæ adhuc sunt vires, dolores esse validissimos; verum ubi senio et diuturnitate morbi debilitatur corpus, minuuntur dolores et quidem gradatim singulis paroxysmis. Tandem ægritudine potius quam dolore conficitur æger, unde *Sydenham* conclusit, quod in hoc morbo, dolor sit amarissimum naturæ pharmacum, qui quo vehementior est, eo citius præterlabitur paroxysmus, atque insuper et longior erit intermissio, et vice versâ, quod et pariter *Lacoste* observavit. Si tamen podagra (quâcumque id accidat causâ, sive indebitâ medicatione, debilitate aut senectute subjecti) jam non amplius occupat articulos, sed ad partes nobiliores feratur, mors jam in propinquo est.

Prognosticat *Quarin* (*l*) « arthritici » tandem hydropici, aut apoplectici in- » tereunt. »

Quousque verum sit sequens prognosticum « podagra juvenibus brevem, seni- » bus longam vitam promittit, » plane ignoro, cum quosdam a juventute

(*l*) De Morbis chronicis, pag. 233.

audiverim podagricos, et qui tamen ad nonagesimum quartum ætatis annum pervenerint.

Stahl ita distinxit morbos, quibus podagrici pereunt, prout vel a juniori ætate, vel in provectiori, podagrâ affligi cæperint. Primi, ait, numquam ad grandiorem ætatem perveniunt, sed febribus inflammatoriis vel hecticis, vel hæmorragiis etc. intereunt. Alii autem generaliter numerosiores annos attingunt, et majori pro parte marasmo solo, vel conjuncto hydrope, aut affectionibus apoplecticis et paralyticis vitam finiunt.

47. Jam ut causa podagræ a diversis diversa habeatur, ita et necessario cura diversa a diversis instituitur. Monuimus cum *Sydenhamo* multum differre curam etiam in eodem subjecto pro diversâ vitæ periodo, quâ corripitur.

Monendum est etiam, quod alia omnino res sit, quempiam a podagrâ liberare, sic ut numquam amplius ab eâ corripiatur, sine ullâ tamen aut præsentis aut futuræ sanitatis noxâ, sive quod in idem redit, podagram radicitus extirpare: alia omnino res, podagræ dolores lenire aut paroxysmos abbreviare.

48. Videamus ergo primum, quid circa curam radicalem, quam *Sydenham*

adhuc in *Democriti* puteo latêre putabat, et in hunc usque diem, uti existimo, adhuc latet, in authoribus aut in propriâ praxi reperiamus?

Primum exemplum nobis suppeditat canonicus podagricus a pyratis captus, triremisque per biennium applicatus eo cum effectu, ut obesitate deperditâ, immunis fuerit a podagrâ, quâ postea redemptus, numquam amplius laboraverit.

49. Quandoque subito ab animi pathematibus podagram produci antea jam observatum fuit. Facta hoc et sequenti numero alleganda, podagram iisdem animi pathematibus quandoque radicaliter sanari, probabunt. Podagricus quidam, ob maledicentiam insignem plurimis invisus, in ipso podagræ paroxysmo per caco-dæmonem e lecto arripitur, et sic a caco-dæmone trahitur, allisis contra omnes gradus membris dolentibus, usque in aream, ubi suæ sorti committitur. Terrore confectus podagricus, qui antea pedibus nequidem insistere poterat, aufugit, velociter gradus assurgit, et totam viciniam clamore replet. Convaluit et numquam amplius podagrâ affectus fuit.

50. Non minus pulchrum nobis ex *Hildano* exemplum refert *Baro van Swieten*, quadragenarii podagrici jam

capite plectendi: ducebatur ille jam ad supplicii locum, dum insperatæ advenit nuntius veniæ: eâ auditâ sic afficitur, ut qui exanimis prope, omnium membrorum usu carebat, statim alacri et expedito motu se in pedes dederit, annosque multos postea liber ab hoc morbo supervixerit. An quædam mutatio sanguini ita inducitur? Sequens equidem factum silentio præterire non possum, utpote quod aliquam analogiam cum præcedenti habêre videatur. Casu quodam cum amico tendebam, visurus executionem quatuor ad mortem condemnatorum: satis propinquos nos sistebamus instrumento mortifero, sic dicto *guillotine*, ut omnia exacte observare possemus. Dum caput secundi ceciderat per saccum, et elevaretur cultrum, ut tertius plecteretur, loco sanguinis rubri, uti in præcedente et sequentibus duobus, ex trunco prosiliit liquor non ruber, sed subruffus, omnino similis liquori illi, qui spiritûs frumenti braccatoribus vocatur, flandricè *spoeling*, quod et ab amico et omnibus adstantibus animadversum fuit, uti tum dictis mihi adstantium, tum *stupefactione*, ut ita dicam, distantium, clare percipere potui. Qui circa hoc factum dubium movebunt, adeant opus eximium celeberrimi

Corvisart (*m*) : « In subjecto mortuo per
» sequelas dilatationis passivæ ventriculi
» cordis sinistri, vidi istud liquidum (san-
» guinem) adeo parum coloratum, ut
» linteamen album isto sanguine madi-
» dum, colore vix rubicundo afficeretur. »

51. *Heberden* (*n*) similes casus adfert:
« Quantum autem fieri potest ad execu-
» tiendam podagram, si quis omnes ner-
» vos in eo contendat, declarant histo-
» riæ arthriticorum non dubiæ, qui
» membris omnibus capti, cum movêre
» se prorsus non posse viderentur, metu
» subito incendii, aut hostium, perculsi,
» illico obliti sunt podagræ, et satis agi-
» liter se in fugam conjecerunt. »

52. Mea praxis et pulcherrimam sug-
gerit observationem : civis honestissimus
ex gente lanionum NN. corpus magnum
et crassum, itidem caput magnum et ven-
trem prœminentem habens, ætatis nunc
circiter sexaginta et quinque annorum,
hæreditariâ podagrâ jam laborabat, an-
tequam pater ejus eâdem fuerat affectus,
quâque deinde pater laboravit. Abhinc
annis circiter viginti corripitur hæmoptoë

(*m*) *Essai sur les Maladies et les Lésions organiques du Cœur*, *page* 466.

(*n*) Comment. de Morbor. hist et curatione, pag. 45 et 46.

activâ, quæ de tempore in tempus recurrit, sine ullo sanitatis detrimento, et contra quam medicus ejus priscus, uti et ego singulâ vice venæ sectionem institui curavimus, et ab illo tempore a podagrâ immunis vixit.

Jam hoc indicaverat *Erasmus Darwin* (*o*): « Aliquando hæmoptoë per plu-
» res dies recurrit in podagricis absque
» ullo periculo, et videtur vices supplêre
» paroxysmorum podagricorum. »

53. Casus ex *Heinsio* descriptus, junioris istius podagrici, qui permutatione cœli frigidioris cum aëris temperie multum calidiore, trium annorum tantum intervallo radicitus curatus fuit a podagrâ, hic etiam referri meretur. Verum sequens, quem narrat *Alphonsus Leroy* (*p*) nos docet, hoc remedium non esse infallibile. « *Un homme en* France *était presque*
» *expirant des accès de la goutte; ses*
» *affaires l'appellaient dans l'*Inde; *à*
» *peine a-t-il passé la ligne, qu'il se*
» *trouve dans l'état le plus heureux.*
» *Après plusieurs années, pendant les-*
» *quelles il avait été absolument exempt*

(*o*) *Zoonomia*, tom. III, pag. 20, seu class. I, 1, 1, 4.

(*p*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans*, *page* 131.

» *de cette infirmité, il revint en* France;
» *mais a peine eut-il repassé la ligne,*
» *que cette maladie revint avec plus de*
» *fureur.*»

Alexander Smal (*q*) non obstante ex *Angliâ* in Jamaicam transiisset, ibidem a podagrâ non fuit liberatus, quoniam laudat ut remedium contra podagram ibidem in usu, expositionem membrorum podagrâ affectorum libero aëri.

54. Celeberrimus *Lacoste* etiam in podagrâ non desperabat de curâ radicali, quapropter cœli mutationes, balnea, medicamina varia etc. præscripsit, quæ vidêri possunt in pulcherrimo tractatu, quem de podagrâ conscripsit. Verum proprio exemplo (nam duodecim tantum annos, curâ et regimine indicato, a podagrâ liber fuit) patuit, remedium non ita certum esse, ac indicaverat.

55. Ejusdem erat opinionis *Sydenham* secundum *Darwin* (*r*), idque obtinêri posse per abstinentiam ab omnibus liquoribus fermentatis existimabat. «Si empiricus daret solummodo podagricis
» cerevisiam tenuem, tamquam specifi-
» cum, et ipsis persuadêre posset, ne

(*q*) *Medical observations and inquiries*, *t. VI*, *pag.* 201.

(*r*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 208 seu class. IV, 1, 2, 15.

» alium quemcumque potum spirituo-
» sum caperent; ille per hunc morbum
» posset obtinêre millena, et accumulare
» opes per ingenuitatem suam. » Ast summus ille vir despexit proprium consilium, usumque vini fortissimi *Maderæ* continuare amavit, et fertur obiisse martyr morbi, quem noverat tam bene subjugare.

56. Doctor *Mead* curam podagræ radicalem etiam possibilem credebat, sed hic neque cerevisiam tenuem concedebat; pro potu aquam puram indicabat; vegetabilia commendabat, et lacticinia, et unicâ tantum per diem vice, carnibus quibusdam albis vesci permittebat; et tali diætâ se vidisse, ait, plures a podagrâ liberatos, et ad grandissimam provectos ætatem. *Cornaro* solo regimine ab articulari morbo et pluribus aliis morbis liberatus, integrum sæculum complevit, tandemque absque ullo alio morbo prægresso, vivere desiit. Verum experientia docuit, si post multos annos rursus ad primævam vivendi rationem redirent, rursum eosdem podagrâ afflictos fuisse, et quidem sæviore.

57. Quamquam paucissimi ita felices fuêre, ut curam radicalem podagræ absolvere potuerint, tamen et medici et

empirici eam omni sæculo tentârunt. Veteres medici omném fiduciam in helleboro reponebant; chemici in arcanis suis, quæ ad intima cordis penetrare possent, spem omnem habebant. *Helmontius* id in *arcano corallino Paracelsi* inventum putabat, quod arcanum ex *argento vivo* constâsse videtur, et quod satis mite agebat.

58. Sæculo præterito arcanum contra podagram munificentiâ suâ publici juris reddidit celsissimus *Dux Portlandiæ*, remediumque illud, omnibus jam satis notum, ab eo nomen accepit. Videtur illud jam veteribus notum fuisse, ut pulchre demonstrat doctor *Joannes Clephane* (*s*), qui ibidem prævidit ejus fatum. Terrens exemplum a *Magno Ganbio* observatum fuit (*t*). Nempe quadragenarius podagricus, biliosæ admodum temperiei, morbi, quamvis in ipso non adeo crudelis, pertæsus, decantatum adeo remedium *Ducis Portlandiæ* assumere statuit, quo sumpto, per menses circiter octodecim, omnino a podagrâ liber fuit. Ast hanc permutaverat cum difficili respiratione, œdemate

(*s*) *Medical observations and inquiries*, *tom. I*, *pag.* 126.
(*t*) *Hollandsche Maatschappye*, *deel IV*, *bladzyde* 308 et seq.

totius corporis, variisque malis, quæ ibidem enarrantur; contra quæ varia rursus, sed incassum tentata fuerunt. Tandem subito moritur. Autopsia cadaveris ibidem inspici licet, et omnem attentionem veri practici meretur.

59. Celeberrimus *Quarin* ait (*u*), *Cœlius Aurelianus* podagricos amaris abusos, apoplexiâ extinctos vidit, et clarissimus *Cullen* : « E centum qui pulvere *Ducis* » *Portlandiæ* usi fuerunt, intra unum al- » terumve annum nonaginta ac imprimis apoplecticos obiisse testatur. » *Erasmus Darwin* idem non solum sentit de pulvere *Ducis Portlandiæ*, sed etiam de usu *corticis peruviani*, quem aliqui tantopere contra podagram laudarunt (*v*), « usus continuus amarorum, uti pulveris » *Ducis Portlandiæ* vel *corticis peruviani* » per annum aut amplius, inducit apo- » plexiam, vel alium morbum lethalem : » duos observavi casus : unus erat apo- » plecticus et paucis horis supervixit; alter » hepatitide affectus, neglectis venæ sec- » tione, aliisque evacuantibus, utpote po- » dagricus, etiam brevi periit. »

60. Candidus autem *Sydenham*, uti

(*u*) De Morbis chronicis, pag. 236.

(*v*) *Zoonomia*, tom. II, pag. 514 seu art. IV, 1, 11, 2.

diximus, credebat, curam radicalem podagræ adhuc in *Democriti* puteo latêre : non desperabat tamen, eamdem quâdam die inveniendam ! et nos speramus cum eo, præcipue cum ob oculos habeamus inventum recentissimum *Jenneri*, de quo nullus medicus, sano judicio præditus, amplius dubitat aut dubitari potest.

Cum tamen nondum ad desideratam illam epocham pervenimus, progrediamur ad ea, quæ nimirum innocue dolores lenire, et paroxysmos abbreviare observata sunt. Ante omnia itaque monendum est, si stricta illa diæta, potus cerevisiæ tenuis, vel potius potus aquæ, diæta vegetabilis, lacticinia etc. podagram integre semper non tollant, tamen eâ paroxysmos multo rariores fieri et minus dolorificos.

61. Observatur quod incipiente dolore podagrico, cutis color nondum mutetur, verum postea incipiat rubescere locus, et tumêre : sed tunc simul dolor minuitur et cutis madescere incipit. Noverunt etiam podagrici, podagram sanari, dum incipiunt pruritum sentire etc. Attentissimus *Sydenham* dum in se hæc omnia observâret, statuit sequentia « in podagrâ ni-» hilominus quasi naturæ prærogativa » est, materiem peccantem suo modo

» exterminare et in articulos deponere
» per insensibilem transpirationem dif-
» flandam. »

Lacoste observaverat, dolorem minuere dum pars affecta incipit exspirare olidum serum. Non mirum ergo si medici, naturæ tantum ministri, sudoribus podagram curare voluerint: « Sudor morbum
» levat, dicit *Quarin*, is tamen, qui sæ-
» viente dolore, anxie exprimitur, teste
» *Kleinio*, non juvat.» Eadem erat opinio *Sydenhami*, qui et damnavit sudorem stragulorum pondere, vel remediis excitatum.

62. Præceptis his salutaribus admoniti, plerique podagrici, negotium totum naturæ committentes, pedes solummodo tegere solent linteamentis calefactis. Verum ut hæc sæpius, ut calefiant, igni admovêri debent, jam plus in usu est partes dolentes canabi (*kempe*) aut flanellis involvere. Verum hisce substituere soleo aliam materiem, magis mollem, vulgo *la watte* dictam, et tali effectu ut numquam detegam loca affecta, quin sint calida et leni sudore perfusa.

Barthez suadet (w) ut articulatio affecta tegatur telâ ceratâ viridi (*de la ciré*

(w) *Traité des Maladies goutteuses*, tom. I, pag. 85.

verte) cujus usum expertus fui, et quem non laudare non possum.

63. Jam ante dictum est, curam multum differre in podagricis variis, quin imo in eodem subjecto pro diversâ ætate etc. unde evenit certo certius, ut authores in eâ curandâ tam multum inter se differant, et in primis circa purgationem per *superiora* vel *inferiora*. *Veteres helleborum* commendabant: *Trallianus, Demetrius Pepagomenus*; *Hofmannus* repetitas purgationes indicabant. *Lentin*, ut refert *Barthez*, dabat non solum purgantia in initio morbi, sed in statu, et præcipue circa finem podagræ regularis. In junioribus etiam eadem laudat *Darwin* (*x*), ast in senioribus nihil agendum, et rem totam naturæ esse committendam, existimat.

64. *Hyppocrates* videtur spem aliquam curationis posuisse in *Dysenteriâ*. Sic enim habet (*y*): « Sanant quidem hos op» time dysenteriæ, si successerint, sed et » aliæ eliquationcs valdè prosunt, quæ ad » inferna loca repunt. »

Boerhaave scribens amico suo *Bassano*,

(*x*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 219, seu class. IV, 1, 2, 15.

(*y*) Prædict., lib. II, cap. 7 chart., tom. VIII, pag. 815.

illi inculcat, ut singulo trimestri caperet purgans *hydragogum*, quod constaret ex unâ parte *scammonæi*, et duabus partibus *antimonii diaphoretici*. Id etiam in praxi erat apud *Helmontium*, qui eum in finem præscripserat purgans, nominaveratque *diaceltatesson*.

65. Hisce tamen omnino refragantur *Mead* et *Sydenham*: eo non obstante hic nullatenus dubitabat, quin quandoquidem materia podagrica per alvum exiret: sic agens de compescendâ diarrhæâ non criticâ : «Quod si materia podagrica committens, quæ jam non in artus fuerit eliminata, diarrhæam produxerit, modo ea paroxysmi singularis crisis non fuerit tunc sudorem excitandum suadet, sistetur ut plurimum diarrhæa, et morbi fomes magnâ vi detonabit in artus.» Miranda est singularis attentio *Sydenhami*, et cum illustrissimo *Van Swieten* agnoscendum est, numquam morbos melius describi, quam a medicis, qui illum passi fuerunt, ut in hoc casu a *Lacoste* et *Sydenhamo*.

Tertius, ut puto, podagræ paroxysmus decimâ sextâ aprilis anni 1797, quæ erat tunc dies *Passchatis*, me invadebat diarrhæâ satis forti, quam tertiâ die per sudorem excitatum compescebam: ex signis

præcursoribus jam dudum podagram expectabam; tanto dolore pedum, unius post alterum, et tum rursus primi et tunc secundi afficiebar, ut crudelioris et diuturnioris paroxysmi non meminiscar, itaque *morbi fomes magna vi in artus detonaverat.*

66. Verum est, *Sydenhamus* aliquanto plus postea purgationibus indulsit, easque dandas concedit, si nempe eodem die vesperi exhiberetur paregoricum, quod turbas a cathartico excitatas compesceret. — Prævie jam dictum est, quod podagrici soleant esse constipati tempore paroxysmi, ut in me per dies decem aliquando observaverim, licet alio tempore bis vel ter quotidie alvum deponere sim solitus. Cum tamen propriâ experientiâ edoctus sim, eo citius paroxysmum finitum iri, quo liberior alvus evadat, præcipue si appetitus redeat, mediam viam ingressus, maximum solatium inveni ab *enemate* blando, quotidie injecto, quandoque etiam repetito. — Eadem omnino laudant *Lacoste* et *Hofmann.*

67. Non magis *emetica* in podagrâ laudantur, licet exempla exstent podagricorum, qui cum acidum liquidum aquosum, viridescens, atque adeo acre evomuissent, ut fortissimi mineralis acidi

acrimoniam æquaret, malo suo liberati fuêre (z). Factum illud curiosissimum ob plures rationes consuli meretur.

Maximis encomiis extolluntur emetica a navium chirurgo *Smal* (a), qui eorum in se ipso periculum fecerat, non obstante consilio in contrarium doctoris *Eduardi Hulse*, et nullatenus dubito, quin plures medici cum illo hoc ægrotis suis dissuasissent.

68. Opiatis licet in aliis morbis frequenter uteretur *Sydenham*, tamen in hoc morbo eadem damnat, et non nisi rarissime, nimirum ubi convulsio metuitur, vel dolor omnem patientiam superat, insciis tamen ægris, ea vult danda. Eidem consentiunt *Barthez* et *Quarin. Heberden* tamen opio videtur patrocinari; itidem et *Warner*, qui ad id, in hoc morbo recommendandum, integrum librum conscripsit; sed verosimiliter temeritatis suæ solvit pœnas, nam parum post editum librum prædictum, eum obiisse scribit *Darwin* (b): qui ibidem enarrat et simile remedium

---

(z) *The Uncommon Crisis of the Gout, by Dr.* Samuel Pye, *Medical observat. and inquiries, tom I, pag.* 42.

(a) *Medical observations and inquiries, t. VI, pag* 200.

(b) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 222 seu class. IV, 1, 2, 16.

ipsi communicatum. « Dum podagra affi-
» cere pedem incipit, assumunt triginta
» guttulas tincturæ opii, quam dosim
» repetunt post mediam horam, et si
» dolor non cessaverit, rursus post me-
» diam horam ingurgitant æqualem do-
» sim, et tunc dolor statim evanescit. »
Adjungit quod putet tale experimentum
periculosum.

69. Jam antea vidimus quod veteres uterentur *mercurialibus* ad curam radicalem podagræ perficiendam. Curam mirabilem eisdem peractam legimus apud *Van Swieten* (*c*) : « Ab arcano tali reme-
» dio, quod tamen cognoscebatur ex ar-
» gento vivo præparatum esse, podagrico
» in ipso paroxysmo dato, pedes incepe-
» runt sudare adeo, ut mantilia octies
» complicata, quibus pedes involveret
» æger, intra bihorii spatium penitus
» madescerent, sequebatur dolorum le-
» vamen sensim, ita ut per cubiculum
» incedere potuerit æger absque baculo. »
Si autem consideretur, ut bis in me ipso observavi, quod glandulæ lymphaticæ per *Cruysschank* descriptæ, circa digitum aut alterum transversum infra inguen correspondens pedi affecto, aliquando ita

---

(*c*) Comment. in Aphor. Boerhav , §. 1276.

tumefiant, ut facile tactu, et adhuc melius dolore ad motum et tactum augendo, explorari queant, clare patebit, et *mercuralia* cum fructu tentari posse.

Hanc opinionem confirmat celeberrimus *Portal* in tractatu nuperrime edito (*d*), qui peculiarem attentionem practici mereri videtur.

70. *Corticem peruvianum* non solum laudatum vidimus in podagrâ, tempore inter paroxysmos intercalari, verum et tempore paroxysmi, et quidem a primo invasionis die sumendum. Erat excerptum ex authore Hispanico per opusculi periodici auctorem, cui extraordniaria, et sæpius paradoxa, videntur tantum placêre, quæ utinam a solis eruditis solummodo legerentur! sed proh dolor! opusculum hoc periodicum forsitan maxime ab indoctis legitur, qui remedia certa ex incertis dignoscere non valent, remedia venenosa audacter tentant. Exemplum vidêre quisque potest in opere expertissimi domini *Wauters* (*e*). — Consulat

---

(*d*) *Considérations sur la nature et le traitement de quelques Maladies héréditaires ou de famille, par M.r* Portal: *lu à l'Institut le* 25 *janvier* 1808; *rendu public par l'impression dans le mois d'août, quand nous étions occupé à transcrire ce mémoire.*

(*e*) *Tableaux d'Essais pratiques sur quelques Remèdes usitées à l'Hôpital civil de Gand.* — In Præfatione.

potius auctor supradictus celeberrimi *Leroy* opusculum (*f*): « *Une certaine* » *fièvre accompagne souvent les accès* » *de goutte, et elle est un moyen de* » *coction; lorsque la goutte se termine,* » *alors on voit des sueurs; la nature* » *des urines prouve que cette fièvre est* » *dépuratoire et conséquemment qu'elle* » *est salutaire. Il ne faut donc pas l'ar-* » *rêter ni s'y opposer. Car c'est pour* » *avoir voulu arrêter ces fièvres dépu-* » *ratoires de la goutte par le* kina, *qu'on* » *a vu à leur suite ces obstructions si* » *dangereuses.* »

71. Opinioni per celeberrimum *Leroy* emissæ omnino assentitur *Barthez* (*g*): si cortex detur ante coctionem et evacuationes criticas (quæ quandoque valde tarde contingunt), is fixam redderet materiam podagricam et impediret ejus evacuationem. — *Darwin* cujus opinionem superius retulimus circa corticis peruviani usum in curâ radicali, et quæ ut hic inserta considerari debet, ita se exprimit (*h*): « Ob eamdem rationem unica

(*f*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans*, *page* 32.

(*g*) *Traité des Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 124.

(*h*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 222, seu class. IV, 1, 2, 16.

» uncia tincturæ spirituosæ *guajaci*, vel
» *corticis peruviani*, dicuntur aliquando
» quempiam pro aliquo tempore præ-
» servasse a podagræ paroxysmis; at sti-
» mulo per illa remedia excitato, uti
» omnibus stimulis, quando diu conti-
» nuantur, successit major debilitas, et
» destruxit ægrotum. »

Verum cortex dari potest (*i*) simul ac evacuationes criticæ dolores abigêrunt, et febris remissio facta est longior. Verum ipsi addendus est, aut sal *Glauberi*, aut rheum, aut alia leniora eccoprotica.

72. *Diuretica* recommandat in podagrâ maxime utilia *Alphonsus Leroy*. Jam *Quarin* notaverat: « Qui multum sudant » vel mingunt, raro podagrâ torquentur. » *Barthez* ex *Foresto* (*k*) refert exemplum, qui usu decocti bardani in cerevisiâ, urinas emisit albas, crassas, et lacti haud absimiles, et qui ita a doloribus sanatus fuit. Miranda leguntur tum apud prædictum *Barthez*, tum apud *Van Swieten*, §. 1261, circa urinas podagricorum.

Plura adhuc alia commendantur interna sumenda, ut a *Barthez aconitum*, a *Quarin*, *rob sambuci*, *flores sulphuris* et *antimonialia*.

(*i*) *Maladies goutteuses*, *tom I*, *page* 124.
(*k*) *Ibidem*, *page* 43.

Rondelet, *Vander Heyden*, *Vogel*, *Barthez*, etc. maximum effectum sperant in calmandis podagræ doloribus a magnâ copiâ *aquæ frigidæ* epotâ; alii ut *Cadet-de-Vaux* a scypho *aquæ calidæ* singulo horæ quadrante sumpto per tempus *duodecim horarum* paroxysmum finitum iri asserunt. — Ast neutram methodum amplectendam esse judico.

73. Huc usque præcipua allegavimus remedia interna, quibus usi fuerunt autores in podagrâ curandâ: nunc videamus, quænam applicata fuerint externe, et quonam coronata eventu.

Venæ sectio inter hæc primum locum obtinet, quæ dum ab aliis summâ extollitur laude, ab aliis omnino vituperatur. Sic celeberrimus *Mead* observaverat sanguinis missionem id plerumque efficere, ut morbus locum, quem jam tenet, deserat et derelinquat. Quare fortasse *Sydenham* statuit pro regulâ practicâ. « Non est itaque » adhibenda plebotomia vel ad præcavendum paroxysmum, qui timetur, vel ad » istum, qui jam adest, mitigandum in iis » nempe; qui ætate sunt provectiores etc.» Dicit *Quarin* (*l*): « Sanguis rarissime » mittendus est, quamvis sint inflatæ venæ, pulsusque plenus tangatur. »

(*l*) De Morbis chronicis, pag. 234.

74. E contra veteres ut *Ægineta*, *Galenus*, *Aëtius*, eam commendant. Adhuc magis eam laudat *Vander Heyden*, *medicus pensionarius urbis Gandavensis*, qui venæ sectionem institui suadet in loco, podagrâ affecto, quam proximo. Omnino eamdem defendet *Lister* (*m*), et *Heberden* (*n*) scribit eam semper inventam fuisse utilissimam.

Darwin (*o*) postquam ex opere D. *Kelly*, chirurgi navalis, edito Edimburgi anno 1797, retulisset methodum, quâ utitur in curando rheumatismo, et quæ est sequens : « In rheumatismo tam chronico, » quam inflammatorio, jubet applicari in- » strumentum chirurgicum, sic dictum » *Tourniquet*, ut comprimeret arteriam. » Instrumentum illud ibi applicatum re- » maneat per quindecim vel viginti horæ » minuta, relaxando illud vel compri- » mendo, prout patiens ferat. Insuper ve- » nam aperire jubet in inflammatorio » infra compressionem per instrumentum » supra-dictum factam; hoc remedio dicit » quasi subito dolorem lenit et inflam- » mationem. » Quærit, nonne similem

(*m*) *Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 118.
(*n*) Commentarii de Morborum historiâ et curatione, pag. 41 et 42.
(*o*) *Zoonomia*, tom. IV, pag 220, seu class. IV, 1, 2, 15.

operationem auderemus instituere in podagricis, dum sunt juniores et satis fortes? Nonne videtur id fieri posse cum successu?

75. Non obstante auctoritate summâ *Sydenhami* et *Lacoste* in hoc morbo, dum tamen subjectum est juvenile, plethoricum et præsertim si venæ sectionibus assuetum fuerit, dum adest febris indolis inflammatoriæ, venam secare non timerem. Sic expertissimus D. *Van Driessche, Medic. Lic.* summâ cum laude praxim exercens in parochiâ de *Zele* prope *Teneramundas*, non dubitavit in primo paroxysmo mihi bis pertundere venam in bracchio, et insuper hirudines applicare pedibus afflictis summo solamine, et effectu, cum omnino plethoricus et fortis essem*, febricitarem, et insuper ob hæmorrhagiam narium conpescendam pluries mihi secta esset vena.

76. Methodus *hirudines* applicandi loco dolenti jam magis increbuit, postquam *Franciscus Paulmier*, *Medicus Audegavensis*, eam pulchro tractatu renovatam anno 1769 tradidit, experimentis et in propriâ et multorum aliorum podagrâ captis confirmavit.

Barthez ita de eâ sentit (*p*): « *L'ap-*
» *plication des sangsues .... a pu être*

(*p*) *Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 29.

» *indiquée par le gonflement que souf-*
» *frent les veines de la partie affectée*
» *de la goutte. Ce remède est d'une uti-*
» *lité beaucoup plus étendue, qu'on ne*
» *croit communément, pourvu que les*
» *sangsues soient appliquées aussi sou-*
» *vent, et en aussi grand nombre, qu'il*
» *peut être indiqué.*

» *L'application des sangsues sur la*
» *partie affectée de goutte, est le prin-*
» *cipal remède que M.*[r] Paulmier *a pro-*
» *posé contre la goutte accompagnée*
» *d'une inflammation vive.* »

Quarin ait (*q*) *:* «In sanguineis tamen,
» quibus vires constabant, dolorem hiru-
» dinibus loca podagrico admotis, illico
» profligatam esse memini.»

Pringle non minus eamdem metho-
dum laudat (*r*), et quotiescumque eam-
dem secutus fui, numquam me pœnituit
facti.

Ut ut hæc opinio fere sit generaliter
accepta, tamen et contradictionem pati-
tur ut a celeberrimo *Portal* (*s*), qui tunc
addit: « *Ce n'est que lorsque les douleurs*
» *des articles ne dépendent que de la*

(*q*) De Morbis chronicis, pag. 234.
(*r*) *Medical observations and inquiries*, *t. VI*, *pag.* 202.
(*s*) *Cours d'Anatomie médicale*, *tom. I*, *page* 62.

» *seule pléthore sanguine, que cette es-*
» *pèce de saignée locale peut suffire.* »

77. Quantum solatium podagrici percipiunt dum aëris tempestas ex frigidâ in calidam mutatur, jam antea visum fuit. Inveniuntur tamen homines, qui nequidem medicinam e limine salutârunt, quique ambiunt per fas et nefas, nomen acquirere magnum in arte, quam ignorant, quapropter omni vi obsoletam aliquam opinionem, ut novam, vel sibi propriam, obtrudere publico conantur: sic vidimus elapso anno immersionem membri podagrici in *aquam frigidam*, ut potentissimum remedium celebratum. Ast nihil novi! idem jam notum erat *Hyppocrati*, *Aëtio*, *Pechlinio*, etc. Magnus *Harvey* circumëuntis sanguinis repertor, ut podagram advenientem sentiebat, crus affectum in aquam frigidam immittere solitus erat, et eo pacto dolorem avertere: « Nollem laudare, ait *Heberden*,
» *Harvæi* exemplum et aliis ad imitan-
» dum proponere, quamvis ad octogesi-
» mum annum vixerit, et non tam mor-
» bo, quam senectute sit extinctus. »

Secundum *Alexandrum Smal* in *Jamaicâ* exponebant frigori membrum dolens a podagrâ.

78. Non solum immersione membri

podagrâ affecti in aquam frigidam, sed per frictionem *nivis* supra partem affectam; et iter faciendo nudis pedibus incedendo supra nivem, podagram sanatam vidit *Pechlinius* (*t*).

Van Swieten (*u*): « Se vidisse ait, nobilem et strenuissimum virum, qui glaciem rasam circumposuerat dolenti pedi podagrico, unde quidem lenimen subitum doloris sequebatur, sed paulopost fœdus herpes totam faciem deturpavit, ipsasque palpebras occupans maximam fecit molestiam, a quâ difficulter liberari potuit æger, sequente brevi post acri podagræ paroxysmo. »

Alphonsus Leroy (*v*) narrat, uti ab aliis laudatas, lotiones supra bursam et partes genitales aquâ frigidâ vel nive factas, sed ab eo remedio, phtisim trachealem se vidisse adjungit.

79. Ut ut felix hinc inde a tali curâ eventus observetur, tamen paucos ejusdem inveniemus sectatores. E contra celeberrimus *Quarin* asserit (*w*): « Immersis in frigidam pedibus primum arthritis,

---

(*t*) Observat. 28, lib. II.
(*u*) Comment. in Boerhav., Aphor. §. 1273.
(*v*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans*, *page* 57.
(*w*) De Morbis chronicis, pag. 234.

» teste *Heistero*, accessit, dein gravissima » mala, morsque ipsa consecuta sunt. » — Cum semel et iterum cum amicis balneum frigidum, ardente syrio, in amne caperem, singula vice levem sensi podagræ paroxysmum, qui tamen post diem aut alterum, verosimiliter aëris calidi temperie cessit.

80. Magnopere dum vituperat *balnea calida Leroy* (*x*), eadem summis encomiis extolluntur a *Tissot* (*y*). Nonnulli suaserunt *balneum vaporis*, quod constaret ex aquâ, cui incoquerentur reliquiæ fœni, flores fœni dictæ, et sulphure, a quo maximos effectus etiam in podagrâ anomalâ obtinuit.

Percy (*z*) a balneis vaporum dolores subito sedatos vidit.

81. *Pediluvia* eamdem obtinuerunt sortem, ab aliis laudata, ab aliis spreta. Idem esto judicium de pulticulis variis quæ calidæ pedibus applicantur: *Sydenhamus* videns, quod illæ parum juvarent, spernens ficulnea hæc auxilia, nulla remedia externa per multos annos adhibuit. Similiter *Lacoste* omnia topica repudiavit,

---

(*x*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans*, *pag.* 76 *et* 77.

(*y*) *Essai sur les Maladies des gens du monde.*

(*z*) *Maladies goutteuses*, *tom.* *I*, *page* 103.

solò panno laneo contentus, ad molliter tegendos dolentes artus, et ab aëris ambientis frigore muniendos, ut tanto melius perspirarent: quin imo a pulticulis illis damna metuebat.

82. *Usus opii externus* non magis quam internus laudatur. *Barthez* citat casum cujusdam amici, qui applicaverat digitis pedum, podagrâ afflictis *Theriacam*. Illico dolor cessit, sed post bihorium evanuit, et tanta dyspnæa eum cepit, ut infallibiter periisset, nisi podagra ad pedes revocari potuisset.

83. Non solum opii usus externus est nocivus, sed et plerorumque aliorum. Sic *Plinius* nobis narrat plura exempla: *Servius Claudius* (cum in podagræ morbum incidisset) hujus impatiens, veneno sibi perunxit pedes et enecuit, ita ut eâ parte corporis quasi præmortuâ vixit.

Eques romanus, magnitudine doloris podagrici coactus, veneno crura perunxit, et postea caruit omni sensu, æque ac dolore in eâ parte.

Agrippa, qui ut dolorem podagræ leniret, pedes balneo calido aceti vini immisit, etiamsi prævie certus, quod hoc remedio esset amissurus et motum et sensum partis affectæ, uti reipsâ evenit.

Simile adfert exemplum *Alphonsus*

Leroy de principe, qui in violentissimâ podagrâ perfricaverat pedes oleo destillato ceræ, et sic lenimen doloris obtinuit, sed perdidit mobilitatem partis perfricatæ.

Albertini (*a*) refert de quodam, cujus podogra annualiter recurreret, sed qui eam semel retropulerat inunguendo pedes petroleo, pessimis afflictus fuit malis, a quibus non convaluit, donec per alvum deponeret materiem similem *à du plâtre récemment durci.*

84. Nosco jurisconsultum qui singulâ vice, quâ podagram experitur, hanc sibi pultem præparat

℞. *Herb. absynth manip.* IV.
Salis marini pug. n.° I.
Vitell. ov. n.° I, redigantur cum aceto in pultem, quam inter duos orbes stanneos calefactam loco dolenti apponit, eo cum effectu, ut secundâ vel tertiâ die incedere possit. Quamvis in hunc usque diem, nullam exinde noxam fuerit expertus, prudentes medici tamen, in hoc remedio vim repellentem agnoscent, et sine temeritatis notâ eo non utentur.

85. Hic non incongrue citari potest exemplum podagrici a *Swietenio* allatum,

---

(*a*) *Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 43.

qui crapulâ sibi podagram comparaverat. Ab agyrtâ emplastrum applicatum fuit in initio paroxysmi, unde satis subitum solatium habuit. Prudenti medico insultans, encomia celebrabat divini emplastri, ejusdem authorem cumulabat muneribus. Mense vix elapso corripitur pleuritide acutissimâ, a quâ dum prudentiori et efficaciori medelâ tractabatur, jam in vado esse ab omnibus credebatur; subito afficitur podagræ paroxysmo, quo diuturniorem et acriorem numquam passus esset, tali cum effectu, ut pedum usu postea caruerit totâ vitâ, quam per triginta annos protraxit, sed miserimmam.

86. Antea *usui interno mercurii* jam innuimus in hoc morbo, et diximus non sine ratione, hujus remedii periculum esse faciendum. *Alphonsus Leroy* refert a pediluvio calido sex pintarum aquæ, in qua mercurii sublimati corrosivi dragma una *(un demi gros)* esset soluta, podagram quandoque sanatam fuisse vel ad pedes revocatam, idque remedium, ait, a celeberrimis medicis recommendatum, interque alios a celeberrimo *Barthez.*

Cum veniâ doctissimi et expertissimi domini professoris *Leroy* respondeo, nondum remedium istud satis mihi probatum esse, tutiusque proinde ab eo

abstinendum, donec experientiâ ampliori constabit, quid de eo sit statuendum.

Quemdam novi, ex malo pistore in agyrtam permutatum, qui arcanum podagricis et rheumatisantibus exhibet, subque specie pultis rubræ præparatum aliquod mercuriale (verosimiliter præcipitatum rubrum) credulis exhibere compertum est. Quidam agyrtam summis laudibus extollunt, dum alii credulitatis pœnas acerrime luunt.

87. Laudatur *moxa* ab aliis, et pulcherrimam curam in reverendissimo podagrico eâdem perpetratam ex miscellaneis curiosis refert *Van Swieten* (*b*). *Urticationes*, quin imo *fustigationes* alii commendant. Qui autem semel dolores podagræ cruciantes expertus fuerit, dolorificis istis remediis eos augendos non exoptet.

88. *Vesicantia* a quibusdam in hoc morbo landantur ut a *Musgraeve* et *Barthez* (*c*), quæ e contra vituperantur a *Swietenio* et *Cullen*, qui merito ab iis timent, ne podagræ retrocessionem causant. *Leroy* pariter eadem dissuadet, eorumque usum tantum concedit, ut materies podagrica ad pedes alliciatur: eadem brevi tantum tempore aperta servanda

---

(*b*) Comment. in Aphor. Boerhav. § 1278.
(*c*) *Maladies goutteuses*, *tom. I*, *page* 159.

monet, inculcatque cum *Williams*, ut emplastro epispastico una quarta pars camphoræ adjungatur.

Sequens monitum *Leroy* (*d*) omnem attentionem practici meretur : « *Les vé-*
» *sicatoires employés imprudemment sur*
» *la poitrine dans le cas ou l'humeur y*
» *est porté, sont un remède, qui tue, et*
» *dans les constitutions froides et humi-*
» *des, où l'humeur catharrale se marie*
» *avec la goutteuse, le praticien doit*
» *être bien en garde, afin de ne pas con-*
» *fondre cette maladie avec une pleuré-*
» *sie ; cette erreur serait funeste, et*
» *l'on peut même établir en principe,*
» *que chez les sujets habituellement gout-*
» *teux, on doit s'abstenir des vésica-*
» *toires appliqués sur la poitrine, ou*
» *ne les employer qu'avec une extrême*
» *prudence. On met beaucoup de légé-*
» *reté dans l'application des vésicatoires*
» *sur la poitrine.* » Reverâ nimium facile vesicantia, quæ antea rarissimis in casubus, et ordinario serius in usum vocabantur, nunc pro minimo dolore alicujus partis indicantur. E contra venæ sectio, quæ abhinc annis viginti pro minimâ ratione celebrabatur, et sæpe inutiliter, si non

(*d*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans, page* 65.

damnose, nunc urgentibus in casubus non raro omittitur, ut postea patebit dum agemus de apoplexiâ. Artem medicam, artem nobilissimam quasi *modis* dirigi diceres !

89. *Sinapismata* quando nimis acria non sunt, minus certo nocebunt quam vesicantia, quapropter illis ab *Alphonso Leroy* anteponuntur. In podagrâ tamen regulari et jure merito vituperantur ; distinguit optime earum formationem *Leroy*, et acetum ex eorum compositione exulare debet: idem tunc judicium circa ea faciendum est ac circa pultes, quas tandem omnino deseruit *Lacoste ;* solo panno laneo contentus.

90. Ut hisce finem imponam, cum *Sydenhamo* et *Tralliano* monebo: « Non » astringentibus quidem aut et repellen- » tibus in affectis partibus esse utendum, » nisi totum corpus prius a recremento » liberaveris etc. » Idem repetitis vicibus inculcat *Sydenhamus*, ut nempe a simillibus in podagrâ curandâ caveatur, et fidenter asserit, multâ et longâ observatione suffultus, maximam partem eorum, qui podagrâ periisse putantur, non tam ipso morbo, quam sublestâ atque indebitâ medicatione fuisse peremptos.

Hoc nobis etiam confirmat *Pinel* (*e*):

(*e*) *Médecine clinique*, *page* 267.

« *Un résultat constant, que j'ai recueilli*
» *des informations prises auprès des*
» *malades, est, que celles, qui à diffé-*
« *rentes époques ont eu recours a une*
« *grande multiplicité des remèdes et des*
» *moyens, pour s'affranchir de leurs*
» *douleurs, sont tombées dans une dé-*
» *dale inextricable d'affections internes,*
» *des vices organiques, ou de spasmes*
» *irréguliers, tandis que les femmes,*
» *qui ont écarté loin d'elles les bains,*
» *les saignées, ou les recettes sans nom-*
» *bre, qu'on vante contre cette mala-*
» *die, n'ont éprouvé que des affections*
» *articulaires, qui se sont sans doute*
» *renouvellées quelquefois par les varia-*
» *tions de l'atmosphère, mais qui n'ont*
» *jamais pris un caractère de gravité,*
» *ni amené une terminaison funeste et*
» *inattendue.*»

91. Ex dictis nunc patet, nondum remedium certum, quo podagra curetur, inventum esse, et varias, quæ tum ad leniendos dolores, tum ad paroxysmos præveniendos vel abbreviandos commendantur, methodos ab his laudari ab illis vituperari.

92. Sequens methodus mihi huc usque satis feliciter successit ut in eâ pergam: in primis cum *Hippocrate* puto, *consuetudini*

multum esse tribuendum et eâtenus solâ aquâ vivere non possem, uti de se fatetur *Sydenhamus*, neque strictam illam vivendi normam amplecti, quam hinc inde auctores præscribere amant « *vivere* » *excopto et non vegetare.* » Omni attentione est digna diæta tum a *Sydenhamo*, tum a *Lacoste* præscripta, et in operibus eorum consuli potest; quæ si accuratissime observari nequit, tamen non multum ab eâ recedendum.

Dum ex *apepsiâ*, aliisque signis paroxysmum instare percipio, sæpe zinziberis conditi unciam vel dimidiam, per aliquot dies assumo, eo cum effectu, ut paroxysmus præcaveatur, vel brevi in artus detonet. Ordinarie circa primam matutinam, dolorem percipio, quem nullatenus cataplasmatibus lenire, sed cum celeberrimo *Lacoste* molli panno laneo tegere solebam, ut perspirationem intertinerem. Panno laneo substitui materiem aliam magis mollem, vulgo *la watte* dictam, quâ melius mihi videor adimplêre scopum prædictum. Brevi satis tempore, id est infra hebdomadam, ordinarie paroxysmus finitur; aliquando tamen diutius durat, et quandoque uterque pes afficitur, et ad quatuordecim, quin imo septemdecem dies extenditur, quod ex

majori alvi constipatione et appetitu dejectiori præsagiri licet.

93. Licet apyrexiæ tempore, id est, dum liber a podagrâ, quotidie ter vel quater alvum deponere soleo; quâdam vice tamen per undecim dies constipatus fui, quâpropter singulo die mihi enema aut alterum poni curo, ut alvus servetur semper aperta. Appetitus quandoque ita erat dejectus, ut neque alimenta vidêre possem, quin nauseæ prodirent. Hæc erant pessima signa, et paroxysmum protractum mihi indicabant. Quâ propter si quædam palato arrideant, etiamsi minus sana videantur, ea non repudio, secutus in eo exemplum magni *Sydenhami*, qui plus semel desiderato ferculo appetitum excitavit: atque si vinum gustat, et illud non recuso, sed minori quantitate assumendum duco.

94. Quando dolor ad agmen pervenisse videtur, hirudines loco dolenti numero quandoque decem, vel duodecim applico, et plus simplici vice contigit, ut eàdem die aërem campestrem in rhedâ capere potuerim. Quantum contribuat vectio in curru vel rhedâ per aërem ruralem bis expertus fui: una vice dum domi discederem *Aldenardam*, neutri pedi calceus aptari poterat, vix duas

leucas in rhedâ perfeceram *(in parochiâ de Eeke)*, quin eosdem utrique pedi apponere licebat. Altera vice omnino ægrotus, quin imo febricitans, currum ascendebam, ad primam stationem *(Seven Eeken)* facilius ex eo descendere poteram, sequenti die negotia mea peregi *(Teneramundis)* licet claudicando, et his exercitiis podagram omnino abegi. Qui plures effectus hujus methodi desiderat, adeat opus tam sæpe citatum immortalis *Van Swieten* (*f*).

94. Convalescens et exeuns, singulâ nocte tamen membra, novissime dolentia, tegere soleo materiâ illâ molli, *la watte* dictâ, ut perspiratio excitari pergat, donec omnes dolores prorsus a membris absint. Ast eisdem cessantibus, singulo die vesperi, quin imo summâ æstate, pedibus applico semi-caligas *(zokskens)* ex lano contextas, quas alterno die mutari et lavari curo, ut mundities servetur. — Extremitatibus inferioribus duo paria caligarum apponuntur, quarum eæ, quæ interius ponuntur, ex lano sunt contextæ, et quæ exterius e *serico* vel *cotone* constructæ. Illæ pariter alterno die, quin imo in æstate quotidie mutantur ut a sordibus mundentur. — Prævie admonêre

(*f*) Comment. in Aphor. Boerhav., § 1261.

oblitus fui, quod singulâ die mane antequam caligas appono, aut vesperi dum easdem exuo, numquam frictiones in pedibus instituere omittem, quin imo inscius, quandoque motu automatico, easdem perficiam. Addere adhuc debeo, lotiones pedum singulâ hebdomadâ peractas, in aquâ tepidâ, ut perspirationi pedum prospiciatur. His paucis et parvis, ut ita dicam, curis, abstinentiâ a spirituosis qualibuscumque, a vinis fermentantibus ut *Champanicis*; a magis spirituosis ut *Burgundicis* etc.; ab acidioribus ut *Rhenanis*; et a cerevisiis, lagenis aut cannulis inclusis, ut fermentent; a carnibus suillis, et præcipue sale et fumo induratis, podagram huc usque regularem servavi, quam singulo biennio per octo vel quatuordecim dies experior. — Frictionibus supra dictis, et motu isto (tam cito ac ille possibilis est, non obstante aliquo dolore restitante) primitus in rhedâ, dein pedibus, forsitan rigiditatem magnam pedum, et *tophaceam* ac *nodosam* podagram præveni.

95. Jam hoc noverant veteres: ita apud *Lucianum* fingitur «*Diva podagra* nun» tio suo, qui quinto itineris die duorum » stadiorum viam absolverat, in diligen» tiæ præmium concessisse, ut abhinc » triennio leves tantum dolores sentiret.»

Illius efficaciam in se ipso observârat *Sydenhamus* « exercitatio longa et quo-
» tidiana non tantum non officit gene-
» rationi tophorum, sed etiam tophos ve-
» teres et induratos solvit, modo non
» tantum eo usque invaluerint, ut cutim
» extimam in suam substantiam muta-
» rint. » Ast hic sit admonitum, ne exercitium illud primis diebus sit nimis forte, quin imo omni tempore debeat esse moderatum, nam non semel in aliis podagræ paroxysmum vidi excitatum ab exercitio nimis forti.

96. Celeberrimus *Quarin* (*g*) dicit: « Complures tractàvi podagricos nodis af-
» fectos, qui cum remediis usi essent mox
» referendis per plures annos, interdum
» aut nullo omnino paroxysmo, aut leni-
» bus certe, innoxiisque insultibus corri-
» piebantur. Calidioris temperiëi ægris
» vernali et autumnali tempore, per duas
» tresve septimanas unciam unam aut al-
» teram rob sambuci exhibui, altero tem-
» pore, exceptis æstivis mensibus, quotidie
» grana XV usque XXV florum sulphuris
» porrexi. Podagricis frigidioribus pulve-
» res ex sulphure et antimonio propi-
» navi, illis vero qui tumidulo et pas-
» taceo corporis habitu præditi erant,

(*g*) De Morbis chronicis, pag. 237.

» pillulas ex resinâ guajaci, floribus sul-
» phuris et antimonio suasi, præterea
» strigili instituendas frictiones commen-
» davi. »

Non possum non laudare ista remedia, et si, quod Deus avertat, podagra me magis esset cruciatura, eadem libenter experirer.

97. Varia fuit authorum opinio circa materiam, in nodis aut tophis podagricis contentam: *Sydenham*, *Lacoste* et *Mead* credebant « hanc esse materiam podagricam
» copiose collectam in articulis, dissipatâ
» parte subtiliori in tophos cretaceos con-
» crevisse exsiccatam. » Tartaream concretionem *Hofmannus*; alii catharrosum mucum: *Haller* experimentis fere probavit, cretam illam esse terream substantiam, quæ separata ab osse exit de corpore per solitas vias. Supra hanc rem consuli potest opinio D. D. *Herissant*, *Van Hundertmark*, *Vieussens* et aliorum, quæ late discutitur in opere eruditissimi D. *Barthez* (*h*).

De Haen agens de sensibilitate membranarum dicit (*i*): « Dolores arthriti-
» cos tandem intelligi posse ex acri terrâ

(*h*) *Maladies goutteuses*, *tom. I*, *pag.* 44, 45, 46 *et* 47.

(*i*) *Tome XIV*, *page* 107 *et seq.*

» podagricâ . . . . et illam terram in vasis
» hærêre, non extra illa diffundi; nodos-
» que ac tophos enasci, si vasa erosa
» crudeliter frangantur, diffundaturque
» calx podagrica. »

Berthollet chimicus celeberrimus putat, quod *acidum phosphoricum* sese conjungendo minori vel majori quantitati terræ calcareæ et substantiæ animalis, producat abcessus et tophos podagricos: idæa hæc non est nova, et simile quid habemus in libro anonymo cui titulus: *Treatise on Gravel, and upon Gout.* In hoc opusculo auctor conatur probare, quod uterque morbus (podagra et calculus) dependeat a peculiari acido concrescenti, quod vocat *acidum calculi*, alii autem nominant *lithic acid.* supponit hoc acidum semper in humoribus nostris præsens, per alia acida præcipitatum, et hâc viâ explicat, quomodo vina acidula, et alii liquores acidi producant podagram. Ut causam immediatam podagræ, considerat inflammationem partium, quarum functiones impeditæ fuerunt per acidum exuberans præcipitatum. Verum hæc Hypothesis objectionibus obnoxia est innumeris, ut cur podagra nil minus opinantes invadat? Cur subito unam partem derelinquat, et alteram afficiat? Cur

subitum levamen sentiat ægrotus in parte derelictâ? Variæ etiam podagræ anomaliæ nullatenus explicari queunt, et denique cura nullatenus respondet præconceptæ authoris opinioni.

98. Chemici considerant corpus humanum quasi ut laboratorium chemicum: sed errores innumeri ex hoc fonte prosiliunt et quod *senator Cabanis* dixit de *anatomiâ*, jure merito esset attribuendum *Chemiæ* (*k*): « *L'habitude de fonder les » vues de physiologie et de pratique » moins sur l'observation du corps vi» vant dans l'état de santé et de maladie, » que sur des descriptions anatomiques » le plus souvent muettes, comme le ca» davre, dont on les a tirées, et sur des » idées mécaniques toujours séduisantes, » parce qu'elles sont faciles à saisir, et » souvent dangereuses, parce qu'on re» nonce avec peine ce qu'on s'imagine » de voir, et toucher distinctement. Cette » habitude louable à d'autres égards a » fait rejetter par les modernes une foule » de ces observations précieuses, faites » autrefois, que la prévention les em» pêche d'appercevoir ou de vouloir » reconnaître dans la pratique, mais qui*

(*k*) *Observations sur les affections Catharrales*, *page* 5.

» *frappent tous les jours des yeux at-*
» *tentifs et libres de préjugés.* »

99. *Van Swieten* (*l*) ita concludit:
« Fluxit ergo hæc terrea materies cum
» humoribus sanis, et ossibus reddidit il-
» lud, quod quotidie perit de ossibus, uti
» et id quod ad incrementum ossium in
» junioribus requiritur, verum et eadem
» hæc materies dum per morbum muta-
» tur, vel partibus osseis rite applicari
» nequit, ad alia loca deponitur, vel et
» eliminatur de corpore. » Hanc suam
opinionem tuetur, quod in pulmonibus
podagricorum tales concretiones cretaceæ
inventæ fuerint, et in renibus et in he-
pate, et in aliis corporis locis.

Ast hanc hypothesim destruxit *Barthez:*
« *Le sédiment terreux abondant, que*
» *déposent les urines des goutteux, ne*
» *prouve point que la matière arthriti-*
» *que soit produite principalement par*
» *la dissolution des extrémités des os,*
» *comme l'a pensé M.*r Hérissant. *Une*
» *semblable dissolution accompagnée de*
» *ce sédiment terreux des urines a été*
» *observé dans le* scorbut, *le* rachitis *et*
» *la vérole, où les os étaient attaqués.* »

100. At minime necessarium est recur-
rere ad speciosas has hypotheses: accepta

(*l*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1261.

opinio, præcipue recentiorum, videtur esse, quod podagra resideat in membranis articulum ambientibus. Jam autem ex opere *immortalis Bichat* (*m*) nullum dubium superesse potest, quin circumcirca articulationes membranæ existant, et ab ipso hæc membrana *Synovialis* nominatur. Præcipuus usus membranæ, de quâ agimus, spectat ad synoviam. In istâ per oscula, numero quam maximo, synovia exhalatur, quæ ibi aliquamdiu remoratur, et rursus per absorptionem in circulationem redit.

101. *Erasmus Darwin* ita explicat formationem nodi podagrici sive calculi arthritici: (*n*) « Calculi arthritici formantur » uti calculi renum, superius descripti, per » nimis subitam absorptionem tenuiorum » vel salinarum partium muci similes » concretiones productæ fuerunt in pul- » monibus, quin imo in pericardio. »

Procul dubio hos morbos præviderat *Bichat*, aut si prævisi non fuerint, ex effatis deduci possunt (*o*) : « *Si on se* » *rappelle, ce qui a été dit précédem-* » *ment sur l'étendue des deux surfaces*

(*m*) *Anatomie générale*, *tom. IV*, *page* 56.
(*n*) *Zoonomia*, tom. III, pag. 68, seu class. I, 1, 3, 11.
(*o*) *Anatomie générale*, *tom. IV*, *page* 450.

» *muqueuses générales, qui est égale et*
» *même supérieure à l'étendue de l'or-*
» *gane cutané, si on se représente en-*
» *suite ces deux grandes surfaces rejet-*
» *tant sans cesse au-dehors les fluides*
» *muqueux, on verra de quelle impor-*
» *tance doit être dans l'économie cette*
» *évacuation, et* de quels dérangemens
» sa lésion peut devenir la source. »

Facilius intelligentur hæc verba *Erasmi Darwin* « similes concretiones productæ
» fuerunt in pulmonibus quin imo in pe-
» ricardio » ex ejusdem *Bichat* dictis (*p*):
« *Ces divers rapprochemens qui à quel-*
» *ques différences près dans la compo-*
» *sition, associent si visiblement la sy-*
» *novie à l'humeur des membranes sé-*
» *reuses, ne nous mènent-ils pas à cette*
» *conséquence bien simple, savoir, que*
» *ces deux fluides étant analogues sous*
» *tous les autres rapports, doivent l'être*
» *aussi par la manière dont ils sont sé-*
» *parés de la masse de sang? Or c'est*
» *un point de physiologie aujourd'hui*
» *généralement reconnu, que l'humeur*
» *des membranes séreuses y est appor-*
» *té par l'exhalation.* »

102. Etiam celeberrimus *Portal* hanc opinionem confirmare videtur, uti patebit

(*p*) *Anatomie générale, tom. IV, page* 546.

sequentibus (*q*) : « *L'humeur épanchée*
» *entre les ligamens peut avoir de l'acri-*
» *monie, comme dans certaines fluxions*
» catharrales, rheumatismales, goutteu-
» ses, *et alors l'enflure des articulations*
» *est accompagnée des douleurs plus ou*
» *moins vives, gravatives, ou lancinan-*
» *tes et d'une fièvre aigue, comme dans*
» *les plus fortes inflammations.*

» *La sérosité qui abreuve les ligamens*
» *et le tissu cellulaire, qui les revet,*
» *acquiert quelquefois une telle consis-*
» *tance, qu'elle ressemble à de la gelée:*
» *et bien plus, elle est quelquefois si con-*
» *crète dans quelques goutteux, qu'elle*
» *a la consistance du plâtre, etc.*

(*r*) » *Ces sortes d'épanchemens syno-*
» *viaux ont été aussi plus d'une fois*
» *l'effet* de la goutte, *ou de vieux rheu-*
» *matismes, ou de quelque vice véné-*
» *rien, scrophuleux, rachitique; et ces*
» *matières épanchées ont pris une telle*
» *acrimonie, qu'elles ont rongé la sub-*
» *stance osseuse sans altérer les liga-*
» *mens.*

(*s*) » *Les mouvemens particuliers des*
» *os du tarse et du métatarse sont en*

(*q*) *Cours d'Anatomie médicale*, *tom. IV*, *pag.* 61 *et* 62.
(*r*) *Ibidem*, *tom. I*, *page* 296.
(*s*) *Ibidem*, *ibid.*, *page* 532.

» *général bien plus libres dans les jeu-*
» *nes gens, que celles, qui sont parve-*
» *nues à un âge plus avancé, surtout*
» *si elles ont fait usage des chaussures*
» *trop étroites, et encore plus si elles*
» *ont éprouvé* des gouttes longues et
» cruelles, *qui aient donné lieu à un*
» *épaissement du suc synovial, tel que*
» *quelquefois les os se soient soudés en-*
» *semble, ou qu'ils aient été écartés par*
» *ces concrétions, comme par autant*
» *de coins, qui seraient interposés entre*
» *eux. Combien cette humeur* arthriti-
» que *n'altère-t-elle pas les os du pied.*
(*t*) » *Le vice rheumatismal et arthri-*
» *tique produit aussi un épanchement de*
» *la sériosité musculaire, telle qu'elle*
» *forme quelquefois de si grandes con-*
» *crétions intermusculaires, qu'on les*
» *reconnaît, lorsqu'on touche le membre*
» *extérieurement.* »

103. Podagra *tophacea*, si numerus podagricorum spectetur, non adeo est frequens, et non nisi in senio confectis, aut in iis, qui morbum indebitâ medelâ aggressi sunt, aut morbi nullatenus rationem habentes, id commessationibus, compotationibus, deliciis venereis vel aliis,

---

(*t*) *Cours d'Anatomie médicale*, *tom. IV*, *p.* 410.

podagram excitantibus, causis perrexére. Sic opificem nosco, habentem ambos pedes nodis et tophis mirum in modum defiguratos, e quibus plus semel tum materies alba liquida, tum magis concreta calcarea exivit. Ast ille in primis podagræ paroxysmis, id alium esse morbum ratus, lotiones frigidas, spiritum vini camphoratum, acetum et similia pedibus applicaverat, jamque ignorantiæ et imprudentiæ luens pœnas, maximo anni tempore affixus lecto jacet, et omni mobilitate pedum privatur.

104. Miratur *Swietenius* quod religiosus quidam ex ordine *Franciscanorum*, qui sobrie et religiose observârat regulam *sancti Patris Assisiensis*, et non obstante per septem tantum annos podagricus, jam in quadragesimo ætatis suæ anno, omnino pedibus esset præclusus. Verùm si ad instituta ordinis attendamus, dum *Francisci* filii debent incedere nudipedes, et religiose observârat regulam *Patris Seraphici*, nonne hic casus merito est adscribendus expositioni frigoris continuæ?

105. Podagra *tophacea* et *nodosa* ut ut difficilior, tamen quandoque curata fuit. Quidam auctores videntur omnem spem posuisse in victu vegetabili solo,

sic ut omnis cibus ex animalium partibus paratus, omnino a mensâ podagrici exularet: celeberrimus *Lobb* aliquot casus recenset, ubi tali diætâ utentes, a podagrâ liberi mansêrunt non tantum, sed et tophi podagrici sensim diminuti, tandem omnino disparuerunt.

Van Swieten laudat eum in finem frictiones et motum, etiam dolentibus adhuc artubus, quod *Alexander Smal* (*u*) propriâ experientiâ comprobavit « constans mihi erat regula semper exire » simul ac status inflammatorius podagræ » transiverat, et nihilominus magnos dolores sufferrem in tali statu incedendo, » tamen convictus sum me primarie isti » methodo debêre usum liberum membrorum, quo adhuc fruor. Neque minus firmiter credo, quod novem ex » decem podagricis decrepitis debeant » miserum suum statum, magis indolentiæ suæ, ac dolorum timori, quam » propriis podagræ effectibus » idque confirmatur experientiâ *Sydenhami* « quod » exercitatio longa et quotidiana non tantum officit generationi tophorum, sed » etiam tophos veteres et induratos solvit, » modo non eo usque invaluerint, ut

(*u*) *Medical observations and inquiries*, *t. VI*, *pag.* 200.

» cutim extimam in suam substantiam
» mutaverint. »

Plura remedia a variis authoribus commendata ad tophos resolvendos enarrat *Van Swieten*, et apud eumdem videri possunt. Eumdem in finem summis laudibus extollit *Darwin ætherem* (v).

106. *Hales* magnam analogiam statuit *calculum humanum* inter et *materiem tophis contentam*. Plura alia observata, a summis viris facta, id confirmare videntur. Sic legitur apud *Portal* (w) « quod illi qui eodem tempore et calculis » renalibus et calculis biliariis affecti es» sent, quod et podagrâ afficerentur.» Apud eumdem (x) ex epistolâ *Morgagni* XVII, art. 10, « invenimus symptomata calculi » apud quosdam cessavêre simul ac po» dagræ paroxysmus apparuit.» Quod plus est authores non pauci asseruerunt, podagricorum progeniem, vel calculo vel podagrâ esse afficiendam uti plus semel cum *Pinel* (y) observavi: ego ipse a teneris annis sæpius dysuriâ molestissimâ me laborasse recordor, quâ postquam

---

(v) *Zoonomia*, tom. III, pag 68, seu class. I, 1, 3, 11.
(w) *Cours d'Anatomie médicale*, *tom. V*, *p.* 387.
(x) *Ibidem*, *ibid*, *page* 417.
(y) *Médecine clinique*, *page* 214.

podagricorum cætui adscriptus fui, numquam amplius vexatus fui.

107. Egregius *Whytt* jam experimentis contrarium probaverat, et doctor *Darwin* (*z*) observat, quod neque calculi generati in renibus, ejusdem naturæ sint, ac calculi in vesica urinaria nati, quod probat ex eo, quod alii solvantur in *acidis*, alii in *alcalinis*, alii neque in *acidis* neque in *alcalinis*: et reipsâ facta numero præcedenti allata nihil aliud probant, quam quod probabiliter idem acre, quod in pede podagram *tophaceam* excitavit, in renibus, aut in cistâ felleâ, aut in hepate calculos producere valeat. *Erasmus Darwin* exemplo proprio id confirmare videtur (*a*). « E. D. erat ætatis qua-
» draginta annorum, dum primo afficie-
» batur podagræ insultu. Variis nihil pro-
» ficiens remediis, a vino et cerevisiâ forti,
» *ale* dictâ, omnino abstinuit: pro potu
» ipsi ûnice erat cerevisia tenuis, vel vi-
» num triplici quantitate aquæ permix-
» tum. Non obstante hoc regimine post
» annum circiter elapsum, duobus poda-
» græ paroxysmis correptus fuit, tunc
» totaliter valedixit et vino et cerevisiæ

(*z*) *Medical Transactions*, *vol. II*, *pag.* 105.

(*a*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 209 seu class. IV, 1, 2, 15.

» tenuissimæ, solâ deinceps aquâ con-
» tentus; ast copiose carnes et vegetabilia
» et fructus horreos comedebat, neque a
» potu *thée*, aut *coffée* abstinebat. Sic
» quatuordecim vel quindecim annis liber
» a podagrâ vixit. Tunc rediit ad vinum
» permixtum aquâ, cerevisiam tenuem
» cum aquâ, ad succum pomorum fer-
» mentatum *(cyder)*, vel succum fer-
» mentatum pyrorum etiam aquâ mix-
» tum, et post paucos menses rediit rursus
« podagra, quo factum est, ut solâ aquâ
» deinceps contentus, nunc plus quam
» viginti annis summâ fruatur valetu-
» dine, exceptis quibusdam catharris,
» quas ab aëris vicissitudine experiebatur
» *(Except some Accidental Colds from*
» *the Changes of the Seasons)*. Prius-
» quam abstineret *a liquoribus fermen-*
» *tatis aut spirituosis, sæpissime affi-*
» *ciebatur hæmorihordibus, et doloribus*
» *gravellosis, quibus numquam amplius*
» *affectus fuit.* »

108. Celeberrimus *Baumes* longius procedit (*b*): «*Ou le vice scrophuleux*
» *a une action délétère sur le suc osseux,*
» *ou les principes constitutifs de ce suc*
» *modifiés, altérés et décomposés sont*

(*b*) *Traité sur le Vice scrophuleux*, *page* 116.

» *en partie les élémens de ce vice*
» (Voyez §. 26). *Si cette dernière as-*
» *sertion est difficile à prouver, la pre-*
» *mière est appuyée sur des faits bien*
» *capables de séduire. Qu'annoncent en*
» *effet les vices de l'ossification chez*
» *les sujets scrophuleux? Qu'indiquent*
» *dans les scrophules, des urines tan-*
» *tôt presque privées d'acide phospho-*
» *rique, tantôt abondant en matière*
» *phosphatée, et en acide phosphorique*
» *qui s'y tient en dissolution? Pourquoi*
» *dans une génération scrophuleuse*
» *trouve-t-on indifféremment parmi les*
» *enfans, les scrophules, le calcul, le*
» *rachitis, le vertebralitis, et parmi les*
» *adultes, la pierre, la goutte, le rheu-*
» *matisme, ou l'arthrocèle (tumeur*
» *blanche des articulations)? Pourquoi*
» *tel sujet qu'on a vu scrophuleux dans*
» *son enfance, est-il quelquefois tour-*
» *menté par la goutte dans l'âge viril?*
» *Pourquoi enfin, comme je l'ai déjà*
» *dit, trouve-t-on dans les tumeurs scro-*
» *phuleuses et dans les cadavres de ceux,*
» *qui sont morts de scrophules, des con-*
» *gestions de matière phosphatée dans*
» *les glandes, dans les vaisseaux lym-*
» *phatiques engoués, dans le canal tho-*
» *rachique et même dans le parenchyme*

» *des viscères? Si on m'objectait, que*
» *ce sont des produits du mal, et que*
» *ces produits n'éclairent presque ja-*
» *mais sur les désordres dérivés de la*
» *véritable cause; je demanderais à*
» *mon tour pourquoi dans la constitu-*
» *tion scrophuleuse, dans cette longue*
» *période, qu'on peut regarder comme*
» *le temps d'incubation du vice scro-*
» *phuleux, observe-t-on, que la denti-*
» *tion est orageuse, que certains os, sur-*
» *tout ceux de la face s'élargissent con-*
» *sidérablement, qu'il se forme comme*
» *dans le rachitis des tumeurs osseuses,*
» *des déformations particulières, des*
» *crues, des rapetissemens subits? Pour-*
» *quoi demanderais-je encore cette*
» *extrême analogie qui existe entre le*
» *rachitis et les scrophules?* »

109. Audiamus quid sentiat circa hæc recentissime *Portal* (c): « *Mais la goutte,*
» *la pierre, qui sont communes dans*
» *quelques familles, attaquent quelque-*
» *fois le même individu à la fois,*
» *ou se succédant l'une à l'autre, ou*
» *l'une existant dans quelques-uns de*
» *ces individus, et l'autre dans quelque*

(c) *Considérations sur la nature et le traitement de quelques Maladies Héréditaires ou de Famille, pag.* 30 *et* 31.

» *autre, la goutte, et la pierre pourraient-*
» *elles provenir d'une cause semblable,*
» *à celle que donne lieu aux autres*
» *maladies héréditaires?*

» *Il est certain, quant à la goutte,*
» *qu'elle est souvent réunie au rachitis-*
» *me, de toutes les maladies héréditaires*
» *la plus commune, ou du moins la*
» *mieux reconnue. Les extrémités des*
» *os des goutteux, formant les articula-*
» *tions, sont gonflées, et leur substance*
» *est tantôt ramollie et tantôt plus cas-*
» *sante, comme le sont les os des ra-*
» *chitiques.*

» *On peut encore dire qu'en général*
» *les os des goutteux perdent de leur*
» *poids, à proportion que les conges-*
» *tions arthritiques sont considérables,*
» *comme si elles étaient formées de la*
» *substance qui aurait du se porter dans*
» *les os en général, et qui en serait*
» *détournée, pour se porter dans ou*
» *autour des articulations.*

» *La goutte et le rachitisme ont donc*
» *des rapports qu'on ne peut mécon-*
» *naître.*

» *Mais la pierre en a-t-elle avec la*
» *goutte? L'une et l'autre sont formées*
» *par des congestions, dont une matiè-*
» *re mucoso-albumineuse plus ou moins*

» *concrète fait en quelque matière le*
» *canevas, et auxquelles sont réunies*
» *d'autres substances, dont plusieurs ont*
» *encore quelques rapports. Ce qu'il y*
» *a de certain, relativement à l'obser-*
» *vation médicale, c'est que la goutte,*
» *la pierre surviennent souvent au même*
» *individu, comme les médecins de tout*
» *les temps l'ont observé, et comme*
» *nous l'observons tous les jours; ils y*
» *ont encore compris l'asthme, qui en*
» *effet s'y réunit souvent pour se ter-*
» *miner lui-même par l'hydropisie de*
» *poitrine.*

» *Ne paraîtrait-il pas, d'après ce qui*
» *a été dit, que les maladies héréditai-*
» *res tiennent plus ou moins du vice*
» *scrophuleux, en premier lieu le rachi-*
» *tisme, la phthisie pulmonaire, l'épi-*
» *lepsie et autres maladies du cerveau,*
» *surtout avec mauvaise conformation*
» *du crâne, et, en dernier lieu, l'hy-*
» *dropisie, l'asthme, la goutte et enfin*
la pierre, etc.»

110. Has inter opiniones, celeberrimi *Baumes* et *Portal* et istam *Alphonsi Leroy*, nonne maxima analogia existit dum asserit (*d*) : «*La plupart des enfans*

(*d*) *Manuel des Goutteux et Rheumatisans*, page 19.

» *des goutteux sont sujets à leur den-*
» *tition aux engorgemens des articula-*
» *tions, et dans le reste de leur vie à*
» *la goutte?* »

Nonne ex præcedentibus confirmatur opinio illorum, qui putant rachitidem esse sequelam morbi podagrici? Si reflectamus ad epocham, quâ hic morbus primum innotuit in *Angliâ*; si hæc epocha conferatur cum assertis celeberrimi *Musgraeve* ad numerum 27.mum allatis, nonne probabilitas augetur?

111. Opinionem suam stabilire nititur celeberrimus *Baumes* (*e*) ex eo, quod D. *Chambon* annotaverit, quod acrimonia scrophulosa apud sequiorem sexum aliquando excitet blonnorhagiam (*ou des écoulemens muqueux et âcres*), et addat, quod hoc aliquando viderit in puellâ scrophulosâ undecim annorum, apud quam nulla adesse poterat infectionis suspicio.

Suediaur (*f*) agens de fluxu, nominato per authores *leucorrhœâ*, addit « hic mor-» bus sæpe participat de podagrâ » et alio loco enumerans *blennorhagias* secundum causas, quæ istam producunt, secundo loco enumerat *blennorhagiam arthriticam* (*g*):

(*e*) *Sur les Affections scrophuleuses*, *page* 19.
(*f*) *Traité des Maladies vénériennes*, *tome I*, *page* 87.
(*g*) *Ibidem*, *page* 43.

« *Blennorhagia* arthritica proveniens a
» materià arthriticâ rejectâ in massam
» sanguineam, et ab hac rursus depositâ
» ad urethram. » Parum inferius adjungit: « Vidi diversos hujus morbi casus, et
» in hoc nomento adhuc duos curo. »

Quinto loco enumerat (*h*) blennorraghiam *infantiûm*, quæ dicit tempore eruptionis dentium sæpe in eisdem observatur. Bis eamdam in pueris, qui nondum secundum ætatis annum compleverant, observavi: operæ pretium fuisset, si *Suediaur* et ego ipse inquisivissemus, an constitutio parentum forsan esset scrophulosa? Si parentes aut avi numquam podagrâ laborassent? etc.

112. *Boerhaave* credebat causam proximam epilepsiæ, et aliorum quorumdam morborum, ut inter alios, febrium intermittentium, in quibus miras et subitas mutationes fieri videbat a latentibus causis, quasque frustra in cadaveribus mortuorum quæsivêrunt toties, *latêre in encephalo, et inde productis nervis.*

113. *Boerhavii* commentator *Van Swieten* dum viderat molestam vertiginem sequente podagrâ perfecte ablatam: — dum viderat hominem, qui primum

(*h*) *Traité des Maladies vénériennes*, *tom. I*, *page* 44.

dolore valido abdominis corripiebatur cum delirio et tremore valido corporis, et qui postea cadit epilepticus, quique postquam mensis spatio tres insultus epilepticos passus fuerat, corripitur acerrimo dolore podagrico, quo factum est, ut ab epilepsiâ deinceps immunis manserit, singulo tamen anno, bis podagrâ corriperetur: — dum viderat in homine robusto, aliquot podagræ paroxysmos passo, tertianam vernam post secundum paroxysmum, licet raro ante quintum finiatur, quin imo ante septimum, permutari in podagram, quæ cum acri dolore pollicis pedis incipiebat, et febris amplius non redierit: simul considerans epilepsiam aliquando febre intermittente et præsertim quartanâ deletam, dicit: « Conclusum fuit non sine ratione, » causam proximam (podagræ) similiter » hærêre in subtilissimis partibus solidis » et fluidis corporis. »

Jam hoc innuerat Divus Pater: « Affini » podagræ morbo epilepsiam solvi. » Et alio loco idem dixerat *Hyppocrates*: « Ma» gni morbi in vehementiâ existentis so» lutio coxarum dolor. »

114. Verum pauci medici dubitant, epilepsiæ et febrium intermittentium causam, si non semper, sæpissime esse materialem; et quis dubitat quin epilepticus, de

quo in numero præcedenti egimus, et qui primitus dolore ventris torquebatur cum delirio etc. causam morbi causæ materiali adscribere debeat? An verosimiliter acre podagricum non præexstiterit? an simile judicium non sit ferendum, de omnibus, quos superiore numero allegavimus, casubus?

115. Causam febrium intermittentium perniciosarum miasmati paludum adscribendam esse, Medici omnes hodierno die satis conveniunt, quin imo ut signum diagnosticum additur *a mephitide paludum ortæ.*

In terris mari vicinis, et supra illud usurpatis, generali nomine *polders* dictis, præcipue in septentrionali antiquæ *Flandriæ* parte sitis, circa æquinoctium autumnale febres intermittentes tanto numero dominantur, ut vix domus ab eisdem libera reperiatur. Numquid causa illorum optimâ ratione attribui potest vaporibus, qui ex terris nunc aratro recentissime subversis facilius exhalantur? Et forsan dies veniet quâ medici non nisi materialem morborum causam agnoscent.

116. *Febrim tertianam* post secundum paroxysmum in podagram mutatam vidimus ad numerum 113.tum — jam dum agebamus de noxis a cortice peruviano

in podagrâ præpropere adhibito ad numerum 70.mum ex *Barthez* et *Alphonso Leroy*, observavimus, podagram non raro concomitatam febri quâdam, quæ nullatenus est negligenda, et sibi relinquenda, sed omnem attentionem medici meretur, pro variis, quibus stipatur, symptomatibus, pro varia ejus indole, prout depuratoria fuerit, vel inflammatoria, vel putrida.

Febris depuratoria in podagrâ omnino regulari septem tantum paroxysmos decurrit, et initio sub scehemate tertianæ; sed et in podagrâ minus regulari aliquando formam tertianæ duplicatæ, aut duplicis inducit, et plures quam septem paroxysmos absolvit.

Grant qui primus hanc febrim descripsit et nullam inter podagram, quæ vere et autumno regnat, differentiam observavit, monet tamen, has febres, quæ podagram concomitantur, participare de genio morbi, istis temporibus dominantis.

Quandoque hæ febres manifeste sunt indolis inflammatoriæ, et tunc aliam omnino curam requirunt, dum aliis vicibus omninò indoles putridæ deprehenduntur, uti mihi semel observare contigit. Invadebat sub specie tertianæ duplicatæ, quem typum paucos post dies commutabat in continuam remittentem. Aderat delirium

ferox circa quasdam personas, quas vidêre renuebat etc. medicamina respuebat, et fere nihil assumere volebat, timens ne veneno eum interficerent etc. tandem non sine maximo discrimine evasit.

117. Celeberrimus *Cullen* existimabat, « *diathesim podagricam esse affectio-* » *nem systematis nervosi, quâ commu-* » *nicatâ systemati sanguineo, producit* » *statum inflammatorium podagræ* » sicque explicabat hypothesim: in quibusdam personis inest quidam status vigoris et plethoræ systematis, quod ad statutam vitæ periodum incipit tonum amittere in extremitatibus. Ista perditio (vel remissio) toni communicatur toti systemati, et maxime observatur in ventriculo: quando ista perditio toni supervenit, dum energia cerebri adhuc in pleno est vigore, *vis medicatrix Naturæ* excitatur ad restituendum tonum partium, et id perficitur producendo aliquam inflammationem in aliquâ parte extremitatûm: quando hæc affectio inflammatoria per quosdam dies substitit, tonus extremitatûm et totius corporis restituitur, et ægrotus pristinam recuperat sanitatem.

118. Falsitas hujus systematis multis argumentis probari potest, ast illis non

immorabor. Transeo ad systema *Erasmi Darwin*, quod imaginationi omnino arridet, sed nullatenus est experientiæ consentaneum. Consistit in eo (*i*) quod podagra, excepto casu quando ventriculus aut hepar prævie afficitur, videatur esse semper morbus secundarius, sicuti rheumatismus et erysipelas, et incipiat cum torpore alicujus partis distantis.

Primariam podagræ sedem supponit esse in hepate, quod non solum primitus afficitur in annuis paroxysmis, sed in singulâ permutatione illius ab uno membro versus aliud. Rationes quæ ipsum inducunt hepar esse prius affectum, sunt, non solummodo quia icterus aliquando conspicitur in initio podagræ uti describitur sect. XXIV, 2, 8, verum quia dolor perceptus ad scrobiculum cordis, quem dolorem supponit esse ad finem ductûs choledochi, et qui falso creditur esse podagra stomachi, cum indigestione et flatulentiâ, ordinarie adest dum singulum membrum inflammari incipit. Vide Arthr. Ventric., class. I, 2, 4, 6. — In duobus casibus, quos videbat concomitatos cum ictero, observaverat, accessionem frigoris præcedere

(*i*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 205, seu class. IV, 1, 2, 15.

inflammationem pedis, et simul cum accessione frigoris adesse dolorem ad scrobiculum ventriculi, qui cessabat, uti et icterus, simul ac pes inflammabatur. Hoc ipsum inducebat, ut crederet, ibi adfuisse torporem hepatis, et forsan etiam pedis: sed nihilominus hepar prius inflammatum fuerat, etc.

Ad illos appello medicos qui podagram passi fuerunt, an umquam tali ratiocinio fidem adhibêrent? An ulla umquam signa detexerint hepatis inflammati, immediate antequam podagræ paroxysmus erumperet? *Nam nihil minus opinantes invadit podagra.* Deinde quoties a causâ externâ, ut ab ictu, a lapsu pedis contra corpus durum etc. podagram excitatam non vidimus?

119. Silentio præteribo *Sydenhami* sententiam, qui « omnes animi nervos variis » hujusce morbi phœnomenis contemplan- » dis acriter intendens, illum *apepsiæ* » seu labefactæ tam in partibus, quam » succis corporis universis, concoctioni » ortum debêre existimat. » Verum videtur summus ille vir, effectus morbi cepisse pro causâ.

120. Non minus erronea est opinio doctissimi *Stoll*, qui causam proximam podagræ adscripsit systemati gastrico, et eam bili originem debêre existimavit.

121. *Pietsch* causam podagræ attribuit *imperfectæ seminis elaborationi:* nimirum dum ob debilitatem partium genitalium, seminis secretio imperfecta est, et ejaculatio fieri nequit, et sic illud, non rite secretum, rursus in massam sanguineam reabsorbetur. Verum pueri ante veneris usum secundum *Barthez,* itemque eunuchi, secundum eumdem, podagrâ quandoque laborant. Fœminas etiam eâdem torquêri quotidiana experientia docet, et tamen in illis non observatur semen.

122. Subtilius excogitatum quam demonstratum videtur systema doctissimi domini *Barthez,* qui causam podagræ statuit *in statu podagrico specifico tam solidorum, quam fluidorum.* Statum podagricum specificum *solidorum* explicat per *situationem fixam partium muscularium;* statum podagricum specificum *fluidorum* deducit ex eo, quod satis probatum sit, *terream materiem in sanguine podagrico abundare.* Verum primum assertum, *situationem fixam partium muscularium,* nondum satis probatum habeo, et ad secundum, *quod terrea materies in sanguine podagrico abundet,* respondeo, quod in multis aliis morbis hoc phœnomenon observetur.

123. *Lacoste* sentiens paroxysmum instare, dum acres, copiosæ lacrymæ oculos irritarent; videns illos, qui vino liberalius indulgerent, acri victu uterentur; magis affligi hoc morbo, *humorum acrimoniam, visciditati majori junctam* pro causâ morbi habuit: imo *septicam* acrimoniam hic agnovit, per quam ossa et cartilagines carie destruuntur.

Quantam fidem sanguini venis vel arteriis detracto adhibêre debeamus, quin imo nullam, demonstravit *De Haen*.

Ex concretionibus calcareis in nodis vel tophis inventis, nihil derivari posse quoad naturam et indolem materiei podagricæ satis videri potest ex dictis ad numerum 106.tum hujus partis.

124. Magis arrideret opinio antiquitus recepta (*k*), quod podagræ causa consistat *in materiâ quâdam morbificâ, quæ semper in corpore præsens, per diversas causas in articulos vel alias corporis partes determinata, ibidem varia excitat morbi phœnomena.*

125. Nos autem putamus, podagram dependêre *ab acri quodam sui generis, quod humoribus nostris inest semper, licet aliquando majori vel minori quantitate, determinato per varias causas*

(*k*) Cullen, *Elémens de Médecine pratique.*

ad articulos, vel alias corporis partes, quodque ibidem varia excitat morbi phœnomena.

126. Opinionem emissam sequentibus conabimur tuêri argumentis.

Et in primis illud, quod podagram in nobis producere potens est, semper in humoribus humanis præsens esse, probatur ex eo, quod podagra etiam observetur *acquisita*, uti vidimus ad numeros 7.^{mum} et 24.^{tum}: majori tamen quantitate illud inesse in humoribus a podagricis procreatorum, nullatenus est dubitandum, cum longe majori numero observetur podagra hæreditaria.

Neque ideo negent existentiam, quod aliquando valde tarde et secundum *Aretæum*, et *Cullen*, ordinariè tantum se prodat hic morbus circa quintum et trigesimum ætatis annum: virus *syphilliticum* quandoque per annos cum humoribus nostris fluxisse, antequam presentiæ suæ signa dederit, observata nos docent practica: cur ergo simile quid fieri posse cum acri podagrico negaremus?

Deinde quod ad numerum 110.^{mum} retulimus ex *Alphonso Leroy*: « *La plupart des enfans des goutteux sont sujets*
» *à leur dentition aux engorgemens des*
» *articulations, et dans le reste de leur*

» *vie à la goutte;* » et ex *Barthez* ad numerum 19.num: « Omnino rara podagra in juvenibus observatur nisi sit » hæreditaria, et in tali casu ante pubertatem aggredi potest » : et ibidem ex *Sydenhamo :* « Nonnulli tamen mihi noti » sunt, qui priusquam maturam ætatem attigissent, leviculam aliquam velitationem præsenserant, quorum nempe patres tunc hoc morbo tenerentur, » cum iisdem generandis operam darent. » Satis abunde probat, et id jam inesse humoribus juniorum, a podagricis procreatorum, quin imo aliquando in iisdem jam actuosum fieri.

127. Quod etiam illud in humoribus nostris resideat, probatur *contagio.* Varia exempla attulimus ad numerum 43.ium, verum illa exempla in dubium trahi, vel aliam rationem evasivam expecto, ut quod uxores illorum podagricorum forsan essent hæreditarie dispositæ ad podagram etc. sed quidquid sit, equidem factum allatum ex praxi meâ ad numerum 52.dum, quo constat hæmoptoë activâ podagram fuisse ablatam (quod pluries contigisse testatur *Darwin*) nullum nobis dubium relinquere videtur circa opinionem emissam.

128. Non minus opinioni nostræ favet

probabilima omnino explicatio, quam ex *Darwin* attulimus ad numerum 101.mum circa formationem calculi podagrici : « cal-
» culi arthritici formantur, uti calculi re-
» num superius descripti, per nimis subi-
» tam absorptionem tenuiorum vel sali-
» narum partium muci etc. »

Et ratio quam ad numeros 21.mum et 22.dum adduximus, cur junior ætas et sexus amabilis minus podagrâ vexentur, et quam repetivimus *a laxiori fibrarum structurâ, et majori systematis mobilitate*, non minus hanc opinionem probat. Huc confer symptoma, quod in me ipso observavi et ad numerum 8.vum retuli, quodque per reabsorptionem vasorum lymphaticorum non sine ratione ibidem ex pede translatum suspicor.

129. Levamen subitum, quod podagrici non raro ab hirudinibus loco dolenti appositis, uti numero 17.mo et 76.to clare constat, percipiunt, nonne adscribendum est faciliori absorptioni acris podagrici per systema lymphaticum?

Cura, quæ mercurialibus feliciter peracta fuit, uti refertur ad numerum 69.num, et quæ omnino tentari meretur in podagrâ, videtur et id confirmare.

130. Podagræ *anomaliæ* opinionem emissam non minus luculenter probant,

et in primis exemplum relatum a celeberrimo *Barthez* ad numerum 82.dum de amico suo, qui imprudenter *theriacam* applicaverat dolentibus pedum digitis: bihorio post evanuit, et fere suffocatus fuit, et non nisi summo discrimine evasit. — Exemplum a *Swietenio* descriptum de milite, qui pedibus dolentibus spiritum vini camphoratum applicaverat etc. et plura alia quæ jam enarrata fuerunt, et enarranda sunt in partibus sequentibus.

131. Ad numerum 36.tum inter causas podagræ enumeratæ fuêrunt *evacuationes consuetæ suppressæ*, et ad sequentem numerum *insensibilis perspiratio suppressa:* si hæc, uti nullum dubium, podagram producere queant; nonne justa suspicio exoritur in humoribus evacuandis, nunc retentis, continêri causam morbi?

132. Numero 42.do probavimus, catharrum sæpius alternare cum podagrâ: nullus dubitat, quin hic morbus (catharrus) in humoribus consistat, consideratâ magnâ muci quantitate, quam naribus, ore et pulmonibus, catharri tempore quis emungit: an a pari ergo acre excitans podagram in humoribus consistere, concludere non possumus?

133. Deinde *Blennorhagia*, relata ad numerum 111.mum a *Suediaur*, nonne omnino probat, et acre podagricum in humoribus consistere (*l*)? « *Ces écoulemens » participent fréquemment de la nature »* herpétique *ou* dartreuse, *quelquefois »* lépreuse, *d'autres fois* goutteuse. *Ils » sont souvent contagieux, et se com- » muniquent par le coit.* »

134. Dum per magnum timorem, uti docent casus enarrati ad numeros 49.num et 51.mum, itidem per maximum gaudium, uti casus ad numerum 50.mum, podagra subito et radicitus curatur, nonne probabilius mutationem fluidis quam solidis inductam augurabimur? An in casu, quem adjeci, illius decapitati, cui sanguis erat subruffus etc. mutatio sanguinis producta fuerit per timorem summum mortis subeundæ, an antea in ipso talis fuerat, meditationi relinquo doctorum?

135. Denique opiniones clarissimi *Portal* (vide numerum 102.dum et 109num), doctissimi *Baumes* (vide numer. 100.mum et 108.vum) omnino opinioni nostræ emissæ «*acre podagricum in humoribus nos- » tris consistere*» favêre videntur.

(*l*) Suediaur, *Maladies Vénériennes*, *tom. I*, *page* 87.

136. Non minus discrimen fuit inter auctores, cujus naturæ esset acrimonia podagrica, an alcalinæ an acidæ? Vinorum acidorum usum inter causas podagram excitantes annumeravimus; acerrimi acidi vomitus subito podagram sanavit (*m*): hæc denotare videntur *acrimoniam acidam* aliquando in podagrâ adesse. Ab alia parte vitam lautiorem et forsan comesum piscium huic morbo favêre ad numeros 32.dum et 33.ium indicavimus: quin imo quandoque sudor fœtidus admodum, nullo modo acidus, argentum maculis inficiens, dolentibus articulis exit insigni cum levamine: hæc *acrimoniam alcalinam* arguere videntur: imo *Sydenham* et *Lacoste* crediderunt, *non minus septicam esse vim virûs podagræ*, quam virûs luis venereæ.

137. *Michaël Pinelli*, Medicus Romanus, omnem sagaciam intendit hunc in finem (*n*), et primo varias corporis partes, et solidas et fluidas processubus chemicis subjecerat, ut illas decomponeret, et constanter easdem partes

---

(*m*) *Medical observations and inquiries*, *tom. I*, *pag.* 41.

(*n*) *Memoirs of the Royal Society*, *or a new Abridgement of the Philosophical transactions*, *tom. VIII*, *pag.* 346.

constituentes invenit, tam in ossibus, quam in sanguine et aliis corporis partibus.

Tunc procedens *viâ humidâ*, ut appellant id chemici, et extrahens salia ex excrementis, quæ ex ventriculo et intestinis proveniebant, semper inveniebat salem haud absimilem sali marino, qui videbatur esse *acidum perfectum*. Tamen quâlibet accuratione procederet, ex omnibus aliis corporis partibus sive solidis, sive fluidis, nihil ejusmodi salis obtinêre poterat.

Postquam in hypothesim illius (qui podagræ causam ab *acido coagulante* in sanguine præsente repetiit) acriter invehisset, sequens instituit experimentum.

137 *bis*. Cum vere podagricus obiisset *Romæ*, Doctor *Pinelli* obtinuit tres uncias cum dimidiâ materiei illius tophaceæ podagricæ, quæ ordinarie invenitur circa articulationes personarum, quæ hoc morbo affliguntur; et capiens sex lagenulas, in quâque decem grana illius materiei ponebat. — Primam harum lagenularum replebat aceto destillato, secundam spiritu vitrioli, tertiam spiritu salis, quartam spiritu ammoniaci, quintam spiritu cornu cervi, et sextam spiritu ab urinâ obtento. — Post viginti quatuor horas, inveniebat materiem in tribus primis lagenulis, quæ acidum spiritum continebant,

totaliter dissolutam; in aliis vero, quæ alcalinum spiritum continebant, materies adhuc integra remanebat, in eoque statu per aliquot tempus adhuc persistebat. — Ex his concludebat, materiam tophaceam esse alcalinæ naturæ, non solum, quia spiritus acidi dissolvunt alcalina, uti factum fuerat in tribus primis lagenulis, sed quia in tribus ultimis, materia integra remanserat, utpote alcalina spiritubus alcalinis non dissolvuntur.

Ut magis certus esset de formatâ opinione et experimento instituto, assumebat residuum materiei podagricæ, circa uncias tres, et in parvam retortam conjecit, cui adaptavit recipiens, et destillationi subjecit, quam secundum artem instituit. — Obtinuit spiritum, paucas guttulas olei, et drachmas duas residui, quod *caput mortuum* nuncupatur, remanentis in retortâ. Hic spiritus inveniebatur esse perfectum *alcali volatile*, ejusdem præcisè naturæ ac ille, qui obtinetur ex sanguine, urinâ et ossibus. Ex his conclusit, quod sit evidens, quod hæc materies tophacea, podagrica, componatur ex eisdem partibus ac aliæ partes solidæ vel fluidæ corporis humani: sive quod podagræ causa nihil aliud sit, nisi sal *volatile, alcalinum et corrosivum,*

qui corrodendo membranas sensiles circumcirca articulationes, causant adeo acutos podagræ dolores.

138. Verum in hac materiâ tophaceâ podagricâ non *causam* morbi, sed *effectum* morbi inquirere debent, et proinde clarum est, ex illis experimentis nihil certi quoad *causam* et *naturam* podagræ concludi posse. Cum autem uti ad numerum 136.tum dictum fuit, *nunc alcalinæ nunc acidæ acrimoniæ* participare videtur, id recte *acre sui generis* vocâsse existimamus.

139. Ex illis, quæ tum ex *Baumes* (vide numerum 108.vum), tum ex *Portal* (vide numerum 109.num) excerpsimus, videntur summi illi viri voluisse indicare, morbos hæreditarios ibidem descriptos, quasi uno ex fonte procedere, uti verbi gratiâ, ex vitio scrophuloso. Dies docebit quousque hæc opinio fundata sit: verum in hunc usque diem, experientia me docuit, podagricos a podagricis, et scrophulosos a scrophulosis produci, et eâtenus insisto ut *sui generis* dicatur.

140. Quod podagra *per varias causas determinetur*, vidêri potest a numero decimo nono, usque ad quadragesimum sextum: *quod ad articulos et ad varias corporis partis determinetur, quodque*

ibidem varia excitat morbi phœnomena, jam passim in hâc parte observavimus, et adhuc maxime videbitur in sequentibus.



PARS SECUNDA.

Quelles sont les maladies dont la Goutte prend le caractère, lorsqu'elle est irrégulière dans sa marche, ou lorsque son action ne se porte point sur les extrémités?

141. PODAGRA, uti numero 7.mo dictum fuit, dividitur *in regularem* et *anomalam.* Quæ in parte præcedenti dicta fuerunt, maxime ad priorem spectant; *irregularis* vero seu *anomala* nuncupatur, si, quamcumque ob causam, partes internas occupet « cum vero vel indebitâ » medicatione turbetur, vel ob diuturniorem morbi pertinaciam, corporis » substantia quasi in fomitem pervertitur, » neque par est natura eidem methodo » consuetâ eliminando, phœnomena multum sunt diversa a jam descriptis, » ait *Sydenhamus.*

Jam notaverat *Demetrius Pepogamenus* (o) : « Nec vero tantum in manus,

NOTA. Morbi, litteris majoribus descripti in hac parte, sunt illi, qui a podagrâ irregulari producuntur.

(o) Cap. V, pag. 21.

» pedes, omnes articulos, tales feruntur
» fluxiones; verum etiam in cerebrum,
» jecur, atque adeo ipsum cor, quæ qui-
» dem teterrimæ et liberatu difficillimæ »
ex quo textu patet nullam corporis cavitatem, nec ullam corporis partem ab ejus noxis immunem esse.

142. A parte corporis superiori, sive a morbis, quos capiti infert acre podagricum, incipiamus. Sic a podagrâ retropulsâ citat *Van Swieten* (*p*), se vidisse *apoplexiam*, cito lethalem. Consueto paroxysmi tempore leves tantum dolores in artubus percipiebantur, cito evanidi, mox sequente VERTIGINE, TREMORE, APOPLEXIA, et quidem tam subito, ut nulli efficaci medelæ opportunitas relinqueretur.

— Similem apoplexiam paucis horis lethalem recensuimus ex *Darwin* ad numerum 59.num

— Ultimâ januarii labentis anni Dom. *Th. Daniëls* ætatis circiter annorum septuaginta, jam plurimis podagræ paroxysmis fractus, apoplexiâ lethali corripitur, quam Atoniæ adscribere collega meus amicissimus D. *Vander Woestyne* non est veritus, cæterique Medici, qui consultationi interfuêre.

(*p*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1273.

143. An tempestas frigida mensis *januarii* forsan contribuit ad podagram anomalam producendam? Sic præcedens et sequens casus, et alter in hac parte enumerandus, innuunt. Ultimâ *januarii* vesperi eramus simul in consortio, et casum supradictum mihi narrat collega jam dictus, meamque opinionem inquirit circa venæ sectionem, quam in præcedenti casu instituere jusserat; et ecce die sequenti ante octavam matutinam, vocor apud Dom. H.***, qui a quartâ matutinâ totum latus sinistrum HÆMIPLEGIA affectum sentit. Hic dominus sexaginta et tres annos natus, jam dudum podagricus, pistoris in agyrtam mutati consilio (vide numerum 86.tum) jam bis vel ter dolentibus pedibus quasdam pultes applicaverat, et paucorum dierum tempore convaluerat. Nunc per annum vel alterum fuerat a podagrâ immunis.

144. VERTIGINE captum vidit hominem *Van Swieten* (*q*), quæ duravit per biennium. Dum sederet tranquillus nihil percipiebat mali, sed simul ac surgens, erecto stabat corpore, mox vertigine corripiebatur, et cadebat. Multa ab expertissimis Medicis tentata fuerant: inopinato

---

(*q*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1262.

podagræ, quâ numquam laboraverat; paroxysmo corripitur, et liber fuit a molestissimâ vertigine. — Consuli etiam potest primum exemplum, in hac parte allatum, ubi etiam ante APOPLEXIAM sentiebat VERTIGINEM.

145. CEPHALÆAM podagricam nobis refert illustrissimus *Sauvages* (*r*), quæ quotidie eâdem horâ meridie recrudescebat adeo inmaniter, ut nihil intolerabilius. Capite fortissimè vincto levabatur paululum, ea, dolore ad pedes redeunte, illico evanescit.

146. EPILEPSIA jam per viginti quinque annos laborantem fœminam, et exorto regulari podagræ paroxysmo, ab eâdem liberatam vidit *Lanzoni*.

EPILEPSIAM, APOPLEXIAM et INSANIAM enarrat *Darwin* (*s*).

146 *bis*. TREMORES, DELIRIUM et EPILEPSIAM unico exemplo probat *Van Swieten* (*t*). Curandum habuit hominem, qui dolore valido abdominis corripiebatur cum delirio, et tremore valido, totius corporis. Postea cadit epilepticus, et postquam mensis spatio tres insultus

---

(*r*) *Nosolog.*, *tom. II*, *page* 54.
(*s*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 24, seu class. III, 1, 1, 7.
(*t*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1262.

passus fuerat, acerrimus dolor podagricus pollicem pedis invasit, sed immunis mansit ab epilepsiâ, postquam podagricorum cætui adscriptus fuerat.

147. PARALYSIM, GUTTAM ROSACEAM vel aliquam aliam ERUPTIONEM LEPROSAM in facie, bracchiis, aut cruribus, EPILEPSIAM et INSANIAM sæpissimè podagræ irregulari originem debêre demonstrat *Erasmus Darwin* (*u*): HERPETEM supra allegavimus ex *Swietenio* (*v*) (vide numerum 78.vum): ACHORES et alios minoris momenti morbos nobis suppeditat *Barthez* (*w*).

148. DELIRIUM a podagrâ anomalâ vidit expertissimus Dominus *F. vander Woestyne* in Domino *De Vreese*, qui *Cortraci* dum viderat amicos suos in carcere conjectos, ducendos in *Galliam* obsides, terrore perculsus et simul indignabundus, statim ac domi fuit redux, febre corripitur, in delirium incidit, a quo tandem per supervenientem paroxysmum *podagræ* convaluit.

149. CARUM ARTHRITICUM narrat *Sauvages* (*x*) ex *Musgraeve*; qui arthritico,

---

(*u*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 24 seu class. III, 1, 1, 7.

(*v*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1273.

(*w*) *Maladies goutteuses*, *tom. II*, *page* 461.

(*x*) *Nosolog.*, *tom. I*, *page* 840.

sine causâ aliâ evidenti, præter doloris cessationem supervenit; quippe dolore pedes iterum repetente, sponte evanescit.

— Itidem refert COMA SOMNOLENTUM (*y*) ex *Frederico Hofmanno*.

150. LETHARGUS ARTHRITICUS ex *Willisio* describitur apud eumdem *Sauvages*(*z*): « Præsul arthritidis paroxysmis quotidie » obnoxius, cum febre versus septimum » diem patiebatur lethargum, qui unam » aut duas hebdomadas perseverabat, » doloribus somno cedentibus, ex quo » non evigilabatur, nisi ad potum et ci- » bum sumendum. Huic sopori se adjun- » gebat tremor totius corporis, sed ita » latens, ut se pulsu tantum convulsivo » proderet. Ille vero tremulus motus so- » pito accedebat, vigilanti minime; oculi » erant conniventes, immobiles ac ma- » dentes; facies tumida ac decolor, nisi » ratione febris genæ rubêrent: corpus » erat enervè et elumbè; præterea ingens » mentis stupor, perpetua sui negligentia, » et necessariarum rerum oblivio; nihil » agebat aut annuebat æger, nisi perpe- » tuo excitatus aut compellatus: per tres » vel quatuor annos arthritidis recursus

(*y*) *Nosolog.*, *tom. I*, *page* 836.
(*z*) *Ibidem*, *ibid.*, *page* 834.

» hic morbus comitatus est usque ad
» mortem. »

151. Trismus arthriticus pariter invenitur apud *Sauvages* (*a*), quem similiter ab *Akkerman* observatum narrat *Barthez* (*b*): succedebat doloribus arthriticis inveteratis, qui durantibus spasmis remisêrunt, et remittentibus eisdem redière.

Choream sancti viti idem *Barthez* (*c*) refert ex *Storck* a podagrâ causatam.

152. Hæmorrhaghiam narium in podagrico, hæreditariâ labe infecto, jam sexaginta annos nato, quique excessus non paucos fecerat in spirituosis, bis fere lethalem vidi, et non nisi summo discrimine evasit.

— Hæmorrhagiam narium observavi in juniore podagrico, vix triginta quatuor anno nato, per summum dolorem, dum moribundus esset filius natu-minor, obortam, quæ fere viginti quatuor horarum spatio duravit, et non nisi repetitâ venæ sectione cessit.

153. Ophthalmiam vidit *Leroy* resistentem omnibus remediis, quæ videbantur maxime appropriata. Suspicatus eamdem

---

(*a*) *Nosolog.*, *tom.* *1*, *page* 834.
(*b*) *Maladies goutteuses*, *tom.* *II*, *page* 454.
(*c*) *Ibidem*, *page* 456.

oriundam a podagrâ, etiam eamdem sanavit, determinando acre podagricum ad pedes. Postea hæc domina subjecta fuit pluribus affectionibus podagricis et nephriticis.

Morgagni laborabat opthalmiâ in utroque oculo; judicabat venæ sectionem utilem, cui tamen præcederet balneum pedis voluit: balneo hoc factum fuit, ut dolorem sentiret ad pedis pollicem majorem, et disparuit opthalmia. Post quinque annos tantum rediit podagra.

GUTTAM SERENAM a podagrâ enatam mihi nuperrime communicavit D. *Van Rotterdam*, in hac urbe Medecinæ Professor. Vide ejus Epistotolam ad finem hujus Dissertationis.

154. Antequam ad mediam corporis cavitatem transeamus, dicamus et CYNANCHEM seu ANGINAM ARTHRITICAM descriptam apud *Sauvages* (*d*).

Barthez (*e*) itidem vidit illustrissimam matronam, quæ maximâ laborabat deglutiendi difficultate, et cujus causam existimabat esse spasmodicam œsophaghi affectionem; verum postea agnovit errorem, dum matrona illa, quæ ante hoc tempus podagrâ numquam fuerat affecta, postmodum eâdem et in manubus et in pedibus afficeretur.

(*d*) *Nosolog.*, *tom. I*, *page* 492.
(*e*) *Maladies goutteuses*, *tom. II*, *page* 416.

155. TUSSIS a podagrâ irregulari passim apud auctores reperitur; sic ejusdem meminiscitur *Portal* (*f*), quæ non cessavit, donec podagra pedes repetiit. Pariter tussim citat ex hac causâ oriundam *Sauvages* (*g*), nec non eamdem observavit *Darwin* (*h*).

156. SYNCOPEN ARTHRITICAM enarrat *Sydenham* observatam in præstantissimâ matronâ, quæ trium horarum spatio duravit. Dolor in extremis partibus recrudescit, et ægra servata fuit. — Simile exemplum retulimus ad numerum 82.dum ex *Barthez*.

157. ASTHMA, PLEURITIDEM, PERIPNEUMONIAM, HYDROPEM THORACIS, ANASARCAM PULMONUM a podagrâ irregulari sæpius oriunda esse, proferre non dubitat *Darwin* (*i*). ASTHMATIS et *Sauvages* (*k*) citat exempla varia, interque alia unum ex *Dodonæo*, in juniori Mercatore, qui per intervalla et multos annos fere suffocatus erat: sublevabatur multis plebotomiis, catharticis etc. sed demum obortis

---

(*f*) *Cours d'Anatomie médicale*, *tom. V*, *page* 51.
(*g*) *Nosolog.*, *tom. I*, *page* 654.
(*h*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 250, seu class. IV, 2, 1, 9.
(*i*) *Ibidem*, tom. III, pag. 169, seu class. I, 2, 3, 14.
(*k*) *Nosolog.*, *tom. I*, *page* 666.

doloribus podagricis et nephralgiâ calculosâ, illico ab asthmate immunis fuit.

158. Pleuritidis a podagrâ oriundæ duos nobis refert casus *Van Swieten*. Primum jam retulimus ad numerum octogesimum quintum. Alter est podagrici veterani, qui pleuritide ter correptus decem mensium intervallo, tertiâ vice obiit: verum narrat quod dolores lenes essent, brevique evanidi (*l*). — Hic admonuisse juvabit, quod *Van Swieten* tantum spem sanitatis restituendæ conciperet, dum dolores artuum, quæ podagræ irregulari superveniebant, acerrimæ erant, et satis longo tempore durabant. — Pleuritidem levem observavi in podagrico vix triginta septem annos nato, quæ, superveniente podagrâ in pede sinistro per aliquot dies, finiit.

159. Peripneumoniam vidit aliquoties *Van Swieten* (*m*), qui sic sese exprimit: « Tussim catharralem verno tempore in» cipientem, plurimos occupantem abs» que multo periculo, in podagricis cito » degenerasse vidi periculosam, dum so» litus paroxysmus in procinctu esset.»

160. Catharros sæpissime alternare

(*l*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1273.
(*m*) Ibid., § 1287.

cum podagrâ ad numerum 42.dum diximus, propriâque comprobavimus observatione.

161. HYDROTHORACEM in reverendo D. *Vanden Bossche*, Pastore in parochiâ *Sanctæ Annæ* in urbe nostrâ *Gandavensi*, podagrico veterano, observavi, isque per aliquot annos duravit, tandemque undecimo anno, quo per eum vexabatur, non redeunte amplius podagrâ, per ejus sequelas obiit.

162. PHTHISIM etiam a podagrâ derivari vult *Quarin* (*n*) « quæ a parentibus in » sobolem derivatur, *aut ab ischiade vel* » *arthritide* nata est, fere omnem opem » eludit. » — Casus quem ad num. 82.dum dedimus ex *Barthez*, dum enumerabamus imprudentem theriacæ applicationem, referri debet ad CATHARRUM SUFFOCATIVUM.

163. Ex *Demetrio Pepagomeno* constat, et aliquando cor ipsum a podagrâ *anomalâ* affici. *Anginam pectoris*, quæ secundum *Heberden*, *Macbride* (*o*), et recentiorem *Parry* consistit in ossificatione arteriarum coronariarum cordis,

---

(*n*) Animadv. in Morbos chronicos, pag. 59.

(*o*) *Medical observations and inquiries*, *tom. V*, *pag.* 233; — *item*, *tom. VI*, *pag.* 10.

in Pastore parochiæ de *Sarlardingen* prope urbem *Gerardimontensem* a podagrâ productam, mecum observârunt expertissimi Domini *Wauters* et *Vranx*. Hic eum tractabat, ille ut ego per litteras separatas consulti fuimus.

Singulo triennio hic Pastor podagrâ regulari affici solebat: nunc per quinquennium, et amplius ab eâ immunis, singulo tertio vel quarto die post prandium, vel quandoque dum velocius incedere conabatur, hoc morbo corripiebatur.

Sequens observatio, quæ utpote posterius facta (cum ante primam octobris 1808 hæc Dissertatio missa esset *ad Societatem Medicam Bruxellensem*) in eâ non continebatur, magis nostrum assertum de anginâ pectoris probabit.

Decimâ quartâ octobris 1808 in consultationem vocor apud revendum D. *Van Aelbrouck*, pastorem in *Maeter*, parochiâ in viciniâ *oppidi Aldenardensis*, cum expertissimo D. *Beaucarne*, qui eum jam aliquo tempore tractaverat. Non eadem utrique erat opinio circa naturam morbi, dum ego ex ægri expositione *anginam pectoris* evidentissime conspiciebam, ille rheumatismum incusabat: ad editam opinionem stabiliendam, interrogo ægrum num umquam podagrâ laborâsset? et responsio erat affirmativa, *addebatque*, se hocce momento eâdem in pede torquêri, sed verosimiliter illam retrocessuram Hoc et aliis argumentis collega meæ videtur adhærêre opinioni, et præter aliqua minoris momenti remedia, convenimus, ut fonticuli duo, supra utrumque genu unus, duplicis, quam ordinarie esse solent, diametri instituantur.

Si diagnosis nostra vera esset, et parum ab eo remedio, uti et omnibus aliis erat expectandum.

Sed æger noster diuturnæ curæ pertæsus (uti fieri solet in multis ægrotis, qui morbis chronicis, et sæpissime incurabilibus vexantur, de uno Medico ad alium confugiunt), litteras ad me mittit de die 2.ª januarii 1809, quibus enixe rogat, ut curam ipsius solus in me susciperem.

Baumes Medicus Monspeliensis, auctor operis periodici, sic dicti *Annales de Médecine pratique de Montpellier*, sub numeris mensium octobris et novembris pulcherrimam inseruit dissertationem circa *anginam pectoris*, remediumque omnino novum contra hunc morbum, cujus basis erat *acidum phosphoricum*; cum melius sit remedium experiri anceps quam nullum, et in hoc ægroto ejusdem experimentum feci. Acidum phosphoricum apud chimicum præparari curavi, et aliquoties ad eum mixturam sequentem misi:

℞. *Aq. flor. tiliæ unc.* iv.
Syr. alth. unc. ij.
Acid. phosphor. unc. sem.

In litteris ad ægrotum datis, et discrimen morbi omnino non tacui; multo minus id reticui Fratri, Notario publico in *Waesmunster*, eidemque consilium dedi, ut alium pastoratum pro fratre ab Episcopo exposceret, etiam inscio fratre. Omnino annuebat huic propositioni, cum parochiam de *Maeter* depinxissem, omnino fatalem huic morbo. *Maeter* constat non nisi vallibus declivibus et montibus asperis: Ecclesia in altissimo monte ædificata, et domus pastoralis ad pedem montis sita, in quem ascendendo Pastor singulâ vice, quater vel quinies quiescere coactus erat.

Vacabat eo tempore parochia de *Saffelaere*, quæ omnino plana et in regione sita est saluberrimâ: cum tempus fratri non esset, ut hanc curam ab Episcopo pro fratre postularet, hanc mihi provinciam demandavit, quam non libenter in me suscepi: rem totam rev. D. *J. B. van Schauwenberge*, *Episcopi Gandavensis Secretario*, exposui, eique audacter prædixi, si Pastor remanêre debeat adhuc

per annum in *Maeter*, eum non amplius supervicturum; et quod plus esset, in quemcumque locum ille esset mittendus, semper eumdem inopinatâ morte periturum iri. — Prognosi meâ stupefactus se statim recipit ad reverendissimum Dominum *J. le Surre*, *Episcopi tunc Vicarium generalem*, qui me statim accersit, et ulterius in morbum Pastoris de *Maeter* inquirit. Prognosim meam ipsi repeto, et ita fidem adhibet, ut omnia, quæ possit, se facturum polliceatur, ad aliam curam Pastori nostro procurandam, et puto, stetit promissis. Verum Pastor, cui illa scripseram, illam recusavit, exoptavitque manêre in *Maeter*.

Die martis 14.â februarii, pridie diei cinerum, post prandium omnino se bene habens, tendit ad collegam et amicum Pastorem de *Volkegem*, dum stat erectus, ut domum rediret circa occasum solis, inopinato cadit, et duorum minutorum tempore e vivis est sublatus.

Die dominicâ sequenti Vicarius generalis et Secretarius, stantes ad aulam Episcopalem, prognosim meam fuisse veram, et Pastorem jam mortuum in *Volkegem* me docent Eodem vesperi frater defuncti mortem ejus confirmat, et cum jam quatriduanus fœteret, autopsiam mihi non concessit.

Vitia enim organica cordis ab hac causâ enata jam annotaverat *Pinel*. Huc confer numerum 90.mum, ubi ejus opinionem retulimus.

An celeberrimus *Corvisart* idem insinuare videtur (*p*) : « *La médecine des* » *causes est la seule véritablement effi-* » *cace, et la médecine des symptomes,* » *à laquelle le practicien se trouve* » *promptement réduit, n'offre jamais*

(*p*) *Maladies organiques du Cœur*, *page* 474.

» *que des moyens, dont les effets ne*
» *sont ni certains, ni durables.*

» *Déjà l'on sait que les femmes, qui*
» *en général font des efforts moins vio-*
» *lens, ont moins de rigidité dans la*
» *fibre, une mobilité plus grande du*
» *systême; des passions plus vives avec*
» *des impressions moins durables, sont*
» *bien moins fréquemment, que les hom-*
» *mes, attaquées de maladies organi-*
» *ques de cœur: que parmi ces der-*
» *niers, ceux qui sont vigoureux, et*
» *dans la force de l'âge, y sont plus*
» *exposés que les autres; qu'on trouve*
» *rarement des exemples de ces affec-*
» *tions sur les enfans. Mais quelles en*
» *sont les causes les plus fréquentes,*
» *et contre lesquelles on doit se tenir*
» *le plus en garde? Quelle est l'influence*
» *de l'atmosphère sur la marche de la*
» *maladie, sur la mort plus ou moins*
» *prompte? Déjà l'auteur s'est assuré*
» *par des observations multipliées que*
» *ces malades supportaient très-diffici-*
» *lement l'atmosphère chargé de brouil-*
» *lards, d'humidité; qu'alors les symp-*
» *tomes s'aggravaient, la mort surve-*
» *nait avec plus de promptitude, et sou-*
» *vent même subitement, quand la ma-*
» *ladie était avancée.*»

Mirum satis, quod podagræ dolores, et vitia organica cordis ab aëre frigido etc. augeantur. Assertum magis comprobabit numerus 41.[mus]

164. Podagra, quam jam numeris præcedentibus hujus secundæ partis conspeximus morbos excitâsse in cavitatibus corporis superioribus, et sæpissime ad viscera abdominalia transfertur. Jam in primâ parte visum fuit, varia podagræ symptomata affectionibus ventriculi originem debêre, ita ut causam proximam podagræ in APEPSIA posuerit *Sydenham*. — *Musgraeve* dicit, quod aliquando a podagrâ ad ventriculum delatâ, subito mors sequatur.

Facile intelligitur, ait *Van Swieten* (*q*), quanta mala metuenda sint, si ad ventriculum aut intestina deponatur eadem hæc materia? « Miles dolentibus artubus appli-
» caverat spiritum vini camphoratum, et
» retropulsâ subito morbi materie, in-
» vasit viscera abdominalia, unde miser
» convulsus, aphonus, sudoribus frigidis,
» vix non pro desperato habebatur. »

Infelicior fuit Domina D . . . nata de . . . . æstate præteritâ : quodam die hæc sentit subito maximum dolorem in femore dextro, quapropter subito jubet advocari Medicum, qui locum dolentem

---

(*q*) Comment. in Apor. Boerhav., §. 1273.

spiritû vini camphorato perfricari jubet. Post aliquot horas dolor subito disparet. Medicus extraneus ex familia mariti in consilium vocatur, testis futurus mortis, quæ quarto morbi die supervenit.

165. A materiâ podagricâ, ad ventriculum delatâ, *Darwin* (*r*) instantaneam quandoque mortem affirmat: hic casus dignoscitur ex symptomatibus, quæ sunt pulsus debilis, et frigus extremorum: simul adest magnus ventriculi dolor, conjunctus cum sensatione frigoris, quam PILEUM NIVEUM nominat. — Qûandoque tamen ista ægritudo minor est, et durat aliquando per dies, quin imo per hebdomadas.

166. DOLOR COLICUS adeo sæpe in podagrâ anomalâ observatur, ut quasi signum retrocessionis materiæ podagricæ statuerit *Sydenham* « ægritudo ingens » cum vomituritione, et aliquali ventris » dolore, *signum dant*, dum simul artus » ex improviso doloris sunt expertes, et » ad motum plus solito habiles. »

167. ENTERITIDEM nobis communicat *Pinel* (*s*). — CARDIALGIA se affectum dicit *Alexander Small* (*t*), a quâ liberatus fuit per supervenientem podagram.

(*r*) *Zoonomia*, tom. III, pag. 202, seu class. I, 2, 4, 6.

(*s*) *Médecine clinique*, *page* 158.

(*t*) *Medical observations and inquiries*, *t. VI*, *pag.* 198.

— Maximè familiaris est, ait *Sauvages* (u) VENTRICULI LANGUOR etc.

168. CHOLERAM a quâ *Sydenham* emortuum dicit *Sauvages*, mense januarii 1808 vidit in prænobili D. K.... ab hac causâ enatam, collega meus *Vander Woestyne;* ita ut tres istos casus succedaneos, in apoplectico (142), in hæmiplegiâ affecto (143), et in hoc cholerâ laborante, considerantes, conclusimus, tempus prægressum multum favuisse podagræ anomalæ producendæ.

169. DYSENTERIAM AC DIARRHÆAM ab hâc causâ produci, et quidem aliquando, cum bono eventu, patet ex *Hyppocrate* (v): sic enim habet: « Sanant quidem hos op- » time DYSENTERIÆ, si successerint, sed et » ALIÆ ELIQUATIONES valde prosunt, quæ » ad inferna loca repunt. »

Observaverat *Sydenham*, quod in iis, qui jam per aliquot annos podagræ paroxysmos passi fuerant, tandem dolores diminuantur, sed quod alternent cum dolore ventris, et quasi cum quâdam diarrhæâ; hæcque symptomata subsistant usque ad mortem: sed aliquando etiam nocent, uti ex *Sydenhamo* constat, dum

---

(u) *Nosolog.*, *tom. II*, *page* 91.
(v) Prædict., lib. II, cap. 7, charter., tom. VIII, pag. 815.

agit de compescendâ diarrhæâ podagricorum « quod si materia podagrica com-
» mittens, quæ jam non in artus fuerit
» eliminata, diarrhæam produxerit, modo
» ea paroxysmi singularis crisis non fue-
» rit etc. tunc sudorem excitandum sua-
» det etc. »

170. HÉPATITIDIS cito lethalis meminit *Darwin* (vide numerum 59.^mum^), similiter et ICTERI, CALCULORUMQUE BILIARIUM (*w*). Refert se vidisse duos ictero affectos, quorum morbus cessavit, simul ac dolor podagricus pedes occupaverit.

Licet de SPLENIS morbis, a podagrâ oriundis, nulla exstant apud auctores indicia, verosimile tamen videtur, et illos ab hac causâ enasci posse; quin imo videntur indicari, dum auctores dixerunt: « Acre podagricum ad viscera abdomi-
» nalia deferri posse.»

171. NEPHRITIDIS exemplum sat manifestum nobis dedit *Van Swieten* (*x*): « Vidi in homine obeso antea NEPHRITI-
« DIS doloribus obnoxio, post rudem in
» curru vectionem ortum dolorem circa
» renem dextrum cum nauseâ; urina erat
» tenuis, decolor, alvus adstricta, dum

(*w*) *Zoonomia*, sect. XXIV, 2, 8; — *ibid.*, class. I, 2, 15.

(*x*) Comment. in Apor. Boerhav., §. 1273.

» in lecto jacebat, dolor augebatur, som-
» num impediens. Dum illa tentabantur,
» quæ antea in eodem morbo, ut crede-
» batur, profuerant, post aliquot dies
» subito dolor migravit ex lumbis in
» pollicem pedis dextri, et primum sed
« acrem satis podagræ paroxysmum pro-
» duxit.» — Invenitur idem casus etiam
apud *Sauvages* (y).

172. Magnam analogiam, quæ inter CALCULUM RENALEM et PODAGRAM existit, ad numerum 106.[rum] et sequentes clare vidimus. Deinde observationibus constat, podagricorum progeniem alterutri morbo, vel calculo vel podagræ esse obnoxiam.

173. HÆMORRHAGIAM uteri ab hâc causâ enatam vult *Barthez* (z). — HÆMORRHOIDES ita enasci posse, ex proprio *Erasmi Darwin* exemplo probavimus ad numerum 107.[mum] — LEUCORRHEAS observavit *Chambon* (vide num. 111.[mum]) — BLENNORHAGIAM probat sequens casus ex *Whytt* « homines habitualiter podagrici,
» maxime dum ad grandiorem ætatem
» sunt provecti, sæpius laborant blen-
» norrhagiâ ab acri podagrico productâ.»
Itidem ille textus *Thielenii* (a): quidam

(y) *Nosolog*, *tom. I*, *page* 505
(z) *Maladies goutteuses*, *tom II*, *page* 319.
(a) *Ibidem*, *ibid.*, *pag.* 324 *et* 329.

habebat singulo secundo vel tertio anno paroxysmum completum podagræ, qui semper incipiebat a fluxu ex urethrâ, omnino simili gonorrheæ, cujus materia dum exsiccabatur, assumebat formam *substantiæ calcareæ tenuissimæ.*

Dominus *De Plaigne* (*b*) observavit dolorem podagræ ad magnum pedis pollicem alternantem cum fluxu ex urethrâ, omnino simili fluxui venereo.

174. CATHARRUM VESICÆ prolixe enarrat *Barthez* (*c*) per quem morbum ægrotus in maximo fuit periculo vitæ, sed a quo tandem feliciter convaluit.

RETENTIO URINÆ etiam a podagrâ anomalâ observata fuit. Sequentem casum, et qui in dissertatione ad Societatem Medicam Bruxellensem missâ, non habetur, mihi communicavit D. *Demanet.* Prænobilis Dom. *Bouchaute* quondam sub AUGUSTISSIMÆ NOSTRÆ IMPERATRICIS MARIÆ-THERESIÆ regno, turbæ militum præfectus (*major*), jam per aliquot annos podagrâ affectus fuerat, dum jam ætate provectior afficitur RETENTIONE URINÆ: advocatur in consultationem Chirurgus *Roselt*, practicus in *Machelen S.ti Cornelii.* Hic inquirens in causam morbi, ut audivit ægrotum et podagricum, cataplasmata applicari calida pedibus jubet, quibus factum fuit, ut podagra in pedes redierit, et ægrotus a morbo periculosissimo evaserit.

Paroxysmi podagrici vices supplêre hæmopthoëm tam ex *Darwin*, quam ex propriâ probavimus praxi

(*b*) *Maladies goutteuses*, *tom. II*, *page* 332.
(*c*) *Ibidem*, *ibid.*

in NN.: ast nunc per aliquot annos hæmopthoë jam remanserat, et mense februario 1809 subito afficitur RETENTIONE URINÆ. Summo mane ad eum accersitus, mox D. *Verbeek*, Chirurgiæ Doctorem advocari jubeo, qui licet præviâ venæ sectione, cathetère in vesicam penetrare non potest. Ne catheter per violentiam introducatur prudentia vetat, qua propter et alterum desideramus Chirurgum, ne temeritatis notâ arguamur. D.° *Reynekink* ægrotanti, subrogatur D. *De Block* Chirurgiæ Professor, cujus auxilio, non tamen sine maximâ difficultate optatum obtinuimus finem. Ab imminenti periculo liberatus fuit, verum in hunc usque diem a RETENTIONE URINÆ omnino non est liber.

175. Varii adhuc morbi dantur qui podagræ anomalæ originem debent. Sic quoque MELANCHOLIAM, HYPOCHONDRIASIM et HYSTERICAM PASSIONEM podagrâ productas fuisse nullus dubitabit Medicus. — In homine isto macilentissimo et debilissimo (vide numerum 3.um) ASCITES tandem supervenit, qui paucos post dies fuit lethalis.

FEBRIM INTERMITTENTEM TERTIANAM VERNALEM, quæ ordinarie tantum post septimum tantum paroxysmum sponte finire solet, deletam vidimus superveniente podagrâ.

176. Acre podagricum dum ad partes internas fertur, sæpissime ad unum vel aliud viscus determinatur, verum aliquando etiam ad plura eodem tempore, et unusquisque sentiet discrimen non parum

tali casu augêri. Simile exemplum (*d*) allegat *Barthez* hominis fortissimi, sanguinei temperamenti, quique plethoram non parum augebat peculiari vivendi methodo: jam erat quinquagenarius, circa quam ætatem pater, pluresque parentes apoplexiâ exstincti fuerant, dum gravem perpatitur podagræ paroxysmum in pedibus, qui cum tantum triginta sex horis perdurat, podagra merito ut retrogressa habenda erat. Hic insuper meditationibus profundis addictus, nec non magnis animi pathematibus vexatus, pauco post hunc paroxysmum tempore convellitur epilepsiâ, regimine extra-ordinario et indebito determinatâ. Deinde plura symptomata podagræ irregularis persensit in stomacho, ut appetitum dejectum, digestiones non rite peractas, cardialgias frequentes etc. et alia symptomata, quæ cerebrum læsum indicabant, ut dolores capitis, stupores, memoriam læsam, brevem, deficientem, et languorem extremum in consuetis corporis exercitiis peragendis.

Hic status per quosdam menses duravit, varians pro varia medelâ: et jam nunc melior videbatur, dum inopinanter a

---

(*d*) *Maladies Goutteuses*, *tome II*, *page* 468.

causâ morali excitatur epilepsia, quâ subito periit.

177. Non tantum podagrâ anomalâ viscus unum aut aliud afficitur, sed et aliquando totum corpus æquabiliter est repletum. Sic ex *Grant* refert Historiam *Barthez* (*e*) hominis fortissimi sexagenarii, qui per plures annos primum podagrâ, deinde et affectionibus gravellosis vexatus fuerat: appetitus erat dejectus et corpus ipsi erat pondere auctum. Subito sensum tensionis et plenitudinis experitur in hypogastrio, et in capite, et vix percipiebatur pulsus.

(*e*) *Maladies Goutteuses*, *tom. II*, *page* 182.



PARS TERTIA.

Quels sont dans ce cas les moyens les plus efficaces, soit comme prophylactiques, soit comme curatifs?

178. Cum ergo tot et tam varia a podagrâ anomalâ producantur mala, operæ pretium erit attendere ad omnia illa signa, quæ docent, ea esse metuenda: quandoque signa illa sunt manifesta, nimirum dum artus doluêre, sed fiunt subito doloris expertes, et ad motum plus solito habiles, et adsit ægritudo ingens cum vomituritione, et aliquali ventris dolore, uti antea ex *Sydenhamo* annuimus. Verum quandoque contingit, ut acre podagricum nullo modo deponatur ad artus, sed viscera invadat; ast tunc ordinarie ægritudo præcedit. Attendendum est quam maxime, quo circiter tempore paroxysmi recurere soleant, si temporis intervallum, inter paroxysmos solitum, præterlapsum sit etc.: si insignes in diætâ errores commiserint, vel adsint signa, quæ indicant morbi materiem jam turgescere in corpore,

et actuosam jam fieri, ut cruditas, ructus, gravitas, torpor, flatulentia, alvus adstrictior, febricula, sudor solitus pedum interceptus, horum varices, anni tempestas, mutatio cœli.

179. Consideratis morbis in præcedenti parte allatis, nullus Medicorum dubitabit, difficilius esse morbos hos, semel excitatos, curare, quam illos, nondum natos, arcêre. In utroque casu monitum illustrissimi *Mead* (*f*) nobis sit regula, « totis viribus contendendum esse, ut » ignea colluvies ista in partem, quam » prius occupaverat, revertatur. »

180. *Cullen irregularem podagram* subdivisit in *atonicam, retrogressam* et *deviam (misplaced gout). Atonica* dicitur ab *a* privativo et *tonos* tonus, quasi diceret sine tono, est ea, dum acre podagricum abundans in humoribus, tamen certas ob causas, statum inflammatorium articulationum non producit, sed ad partes interiores redundat, ita tamen ut in istis pertibus inflammationem non excitet. — Dum vero ad partes internas sic defertur, ibidemque inflammationem producit, eisdem signis, ac si ab aliis causis oriretur, dignoscendam, *devia* vel *aberrans (misplaced gout)*.

(*f*) Monita et Præcepta medica, pag. 197.

181. *Retrogressam* vocavit, dum acre podagricum jam ad articulos deponi inceptum, subito vel per medelam indebitam, aut quamcumque ob causam retrocedit, et ad partes internas defertur. Si ista retrocessio locum habet in juniore subjecto, athletico, sanguineo, procul dubio inflammationem in visceribus, vel partibus internis excitare aptum est, cum si id contingat in sexagenario infirmo et debili, alium morbum, non inflammatorium, producet.

182. Quin imo videtur quandoque acre podagricum varios morbos produxisse in corpore ut *vertiginem* et *epilepsiam*, de quibus numero 113.^{tio} est actum, NEPHRITIDEM de quo egimus numero 171.mo, antequam præsentiæ suæ det signum: quapropter Medici optime ægrotis suis consulent, et præcipue dum causam morbi ignorant, si inquirant, num parentes vel avi quodam morbo laborârint?

183. Ex supradictis ergo clare patet, a podagrâ, sive *retrogressa* fuerit, sive immediate ad partes internas delata, oriri morbos et inflammatorios et chronicos. Hæc idcirca moneo, quia authores fere omnes, in eo forsitan imitati *Musgraevium*, in podagrâ anomalâ non nisi spirituosa, aromatica, calafacientia, alexipharmaca

remedia consulunt, eà intentione, ut podagra ad extremitates revertatur: dum è contra casus sunt numero plures, in quibus evacuationes sanguineæ conveniunt, uti optime notavit *Barthez* (*g*), qui ut opinionem stabiliat suam, auctoritatem invocat *Clifton Wintringham* (*h*), qui vehementer insurgit in praxim illorum, qui non nisi remediis supradictis podagram curare, et evacuationes sanguineas in eâ prorsus exulare volunt. — Dum *Erasmus Darwin* (*i*) dicit, unum ex duobus podagricis, quos vidit fato functos, ex abusu *corticis peruviani*, vel *pulveris Ducis Portlandiæ* laborâsse hepatitide, *ironice* quasi addit « venæ sec-
» tio et aliæ evacuationes neglectæ fue-
» rant, quia a podagrâ ducebat originem »
— *Van Swieten* agens de milite, qui membris dolentibus applicaverat spiritum vini camphoratum etc. addit : « Dato lau-
» dano, et quidem audaci dosi, evomuit
» copiam bilis viridescentis, et deinde
» *sanguinis missione*, et vesicatoriis ad
» crura applicatis, ex ipsis orci faucibus
» fuit ereptus. »

(*g*) *Maladies goutteuses*, *tom. II*, *page* 200.
(*h*) *Ibidem*, *tom. I*, *pag* 228, 229 *et* 262.
(*i*) *Zoonomia*, tom. II, pag. 515 seu art. IV, 3, 1.

184. Antequam ad curam cuilibet morbo, in præcedenti parte enumerato, propriam progrediamur, generales regulas prophylacticas præmittamus.

1.° Præcipuas causas, quæ producendæ podagræ favent, et quæ a numero 24.to ad 45.^{tum} enumeratæ fuerunt, sedulo evitent podagrici: nam id, quod morbos producere valet, a fortiori aptum est eosdem augêre.

2° Podagrici semper sint bene vestiti, et præcipue pedes et manus contra aëris vicissitudines præmuniant. Vidimus enim ad nnmerum 39.^{num} et sequentes, quantum frigus huic morbo inimicum sit, quin imo illi, quibus nullo modo res angusta domi, quibusque sua negotia tale otium permittunt, ex regione frigidiore in calidiorem tempore hiemis sese recipiant.

3.° Rarâ utantur *venere*.

4.° *Baccho* litari omnino noxium. Ast si vino assueti fuerint, vinum est concedendum, sed minori copiâ, et loco vini aciduli etc. assumatur fortius. « Con» cedendum est autem aliquid consue» tudini, et tempestati et regioni, et » ætati » (*k*).

(*k*) Hippocrat. Aphorism., lib. I, aphor. 17.

Acriter sed immerito *Darwin* objurgat *Sydenhamum* (vide numerum 55.tum). Ast hic dixit: « Aquam puram crudamque, et periculosam existimo, et expertus sum meo damno. »

5.° Diætam assumant neque nimis lautam, neque nimis strictam; nam prima cruditates produceret, dum hæc enervando nocet. Potius lautiorem amplecterem, quam nimis strictam; et in hac aliquatenus ægrotorum palato est consulendum, cum certum sit illa, quæ avide appetuntur, et citius et melius digeri.

Werlhoff commendavit diætam lacteam podagrâ anomalâ afflictis, sed illam totâ vitâ continuandam asserit. Juscula carnium variis herbis mixta utiliter a *Medicis Monspeliensibus* commendata fuerunt (*l*).

6.° Corporis exercitia nullatenus negligant podagrici, sed ea continuent, et præcipue in aëre rurali. Sint illa quotidiana, et viribus et ætati proportionata. — Caveant tamen ne nimium incedant, si dolores in pedibus sentire incipiant; nam uti notat *Barthez* (*m*), sic aliquando podagram anomalam redderent. — Utilitatem exercitiorum corporis comprobat

---

(*l*) *Maladies goutteuses*, *tom* *I*, *page* 209.
(*m*) *Ibidem*, *ibid.*, *page* 193.

exemplum magistri in arte saltatoriâ, a *Swietenio* relatum, qui singulâ vice ac podagræ dolores persentiret, non pertimescens graves dolores, quos sic sufferebat, saltus exerebat, saltandoque podagram abigebat. Præ reliquis exercitiis commendatur equitatio.

7.° Fonticuli in extremitatibus, et præcipue inferioribus, positi, judicantur utiles.

8.° Cum ab alcalinis variâ formâ datis nullum observâsset damnum *Cullen*, ea prudenti manu exhibita tentari possent; sicut et *acidum carbonicum* magnopere a Doctore *Thoma Percival* celebratum (*n*).

185. His generalibus præmissis regulis, ad curam procedamus cuilibet morbo propriam. A morbis capitis rursum incipiamus.

Apoplexia.

Omnia remedia in hac apoplexiæ specie secundum *Cullen* sunt fere inutilia: negligebat enim omnem venæ sectionem; unice capiti applicabat vesicantia, uti et extremitatibus, si omnis dolor podagricus abesset. Curam complebat dando interne

(*n*) *Bibliothèque Britanniq.*, *mois de juin* 1808. — Vide *Essais Medical and Experimental Dr. Thom. Percival.*

aromatica, stomachica, amara, et maxime alcali volatile congruo vehiculo exhibitum. Casus, quos in parte secundâ (n.° 142.do) retulimus, id confirmare videntur. Verum licet sæpius remedia fallant, non ideo omnino desperandum esse nos monet *Barthez.* — Curam orditur a venæ sectione satis largâ pedis vel brachii: quantitas tamen sanguinis detrahendi sit proportionata viribus, et constistitutioni subjecti. — Maxima cautela adhibeatur in eâ repetendâ, et potius hirudines pone aures applicentur.

Quarin adhuc timidior fuit, et quidem a venæ sectione abstinendum putat (*o*) « haud assentior *Cl. Sauvages* asserenti, *apoplexiam ex arthritide* ortam » eodem, quo *sanguineam,* modo tractandam esse: si enim inflammatoriæ » morbus naturæ esset, venæ sectionibus leniter revellentibus, enematibus » antiphlogisticis, synapismatibus etc. impugnandus est; si vero languida humorum circulatio, pallida facies, pulsusque mollior, tum vesicantia partibus » affectis applicata, camphora, moschus, » enula, sulphur, antimonium locum » habent. »

(*o*) Animadv. in Morbos chronicos, pag. 10.

Non obstante tamen auctoritate summâ celeb. *Quarin* venæ sectionem nullatenus negligendam duco. Sequentes lineæ ex *Portal* decerptæ non parum opinionem confirmârunt (*p*). « *Les observations sur » la nature et le traitement de l'apo- » plexie, que j'ai communiquées à l'Aca- » démie des Sciences, et qui sont im- » primées, dans le volume de* 1781, *ont » prouvé, que plusieurs apoplexies, » qu'on avait cru être séreuses, avaient » cependant été sanguines; d'où il est » résulté, qu'on s'est bien clairement » convaincu, que les signes, d'après » lesquels les Médecins croyaient dis- » tinguer l'apoplexie séreuse, tels que » la pâleur du visage, la faiblesse, la » petitesse et la lenteur du pouls, étaient » illusoires, et avaient conduit les Mé- » decins à une pratique, dans le trai- » tement de cette maladie le plus fu- » neste, puisqu'au lieu de prescrire les » saignées, qui étaient nécessaires, ils » ordonnent les vomitifs, qui pouvaient » facilement être meurtriers.*

» *Des connaissances aussi importantes » fournies par l'anatomie ne pouvaient » manquer d'être utiles à la médecine;*

(*p*) *Mémoires sur la nature et le traitement de plusieurs Maladies*, tom. II, page 216.

» *j'ai été plus hardi dans ma pratique*
» *à prescrire la saignée dans les apo-*
» *plexies bien prononcées, je ne dis pas*
» *seulement sanguines, car de tous les*
» *temps les Médecins l'ont combattue*
» *par un pareil remède, mais encore*
» *dans celle, que les signes les mieux*
» *prononcés n'eussent indiqué être sé-*
» *reuse, avant d'en avoir connu l'er-*
» *reur par les ouvertures du corps.*»

In consilium vocatus apud apoplecticum, qui quotannis podagrâ affici regulari solitus erat, et venæ sectionem neglectam vidi, venæque sectioni antehabitum emeticum; verum æger obiit initio diei secundæ.

Praxim celeberrimi *Portal* omnino salutarem huc usque inveni, quidquid etiam dicant ejus detractores: sequens exemplum licet non sit a podagrâ anomalâ oriumdum, et sic a quæstione alienum vidêri debet, demonstrabit, quanta mala, quin imo mors ipsa, oriantur a medicatione indebitâ. — Dominus NN. honestissimus civis, habitans in oppidulo non procul a nostrâ urbe distante, jam quinquagenarius, afficitur apoplexiâ; cum Medicis loci in consilium vocatur celeberrimus apud Gandavenses Medicus *De Brabant*, qui illico venæ sectionem

instituendam jubet: tantum acceperat solamen ex hâc venæ sectione, ut dum Medicus supradictus secundâ die rediret, ægrotus, adhuc voce privatus, a Medico venæ sectionem rursus exposceret, digito indicante venam, quibus et congruâ medelâ factum est, ut novemdecim annis adhuc supervixerit. — Filia ejus ab aliquot annis; dum etiam esset quinquagenaria, vehementissimo animi pathemate mota, similiter afficitur apoplexiâ, quam Medicus habuit pro affectione hystericâ; et consequenter neglexerat venæ sectionem, præscripseratque antehysterica, calefacientia. Errorem agnoscunt in consilium vocati Medici, sed sero nimis, ante elapsas triginta horas post invasionem morbi, jam e vivis fuit sublata.

Nonne hæc observatio, uti et illa, quam ad num. 176.tum attulimus ex *Barthez*, probare videntur, sententiam celeberrimi *Quarin* (q), qui primus, ni fallor, apoplexiam hæreditariam dixit? Expertissimus *Wauters*, *nosocomiorum civilium urbis nostræ Gandavensis Proto-Medicus*, pluries mihi asseruit, se ejusdem opinionis esse, ac celeb. *Quarin*, et eam multis tuêri posse exemplis, et in primis

---

(q) Animadv. in Morbos chronicos, pag. 1.

integræ familiæ, cujus membra fere omnia apoplexiâ fuerunt extincta.

186. Hæc per transennam, curam prosequamur inceptam. Venæ sectione præmissâ et forsitan repetitâ, enemata omnino convenient, et quidem sat acria; itidem purgantia: cum autem ventriculus, et intestina huic contigua, quandoque eâdem podagrâ anomalâ afficiantur, prudentia exigit, ne nimis acria adhibeantur, potius enema repetatur.

Evacuationibus tum sanguineis, tum alvinis peractis, omnino conducet, materiam podagricam e capite derivare, et ad articulos determinare, quod obtinebitur, pedes balneo aquæ calidæ imponendo, cataplasmata calida relaxantia iisdem applicando; quin imo vesicantia cruribus ponendo, quæ aliquamdiu serventur aperta. *La Coste* vult ut cum evacuantibus misceantur stomachica, calefacientia etc.: verum id Medicus ex pulsu et viribus ægri determinabit.

187. *Musgraeve* annotavit apoplexiam a podagrâ anomalâ oriundam, quæ periodice recurreret, et a quâ secundo paroxysmo æger periit: hanc agnoscit etiam *Quarin* « est et febris apoplectica: » sic vetustissimi Medici *Diocles*, et *Asclepiades* febrium periodicarum cum » accessubus *lethargicis* meminerunt. »

Cura in his non dubia: corticis peruviani uncia una vel una et dimidia post primum paroxysmum ante secundum data, omnem morbum tollet.

188. Cura prophylactica ultra generales regulas consistet in hac, ut debita medela adhibeatur in paroxysmis subsequentibus regularibus, ne podagra rursus cerebrum petat, statutis temporibus instituantur evacuationes alvinæ et sanguineæ, quâpropter observentur maxime signa, quæ immediate apoplexiam præcedant, ut sunt tremor, vacillatio, vertigo, scotomia, stupor, memoria vacillans, tinnitus aurium, inflatus superiorum, respiratio solito profundior cum naribus compressis etc. et tunc prudens Medicus decidat de necessitate venæ sectionis: aëre gaudeat interea aperto, rurali; in extremitatibus fonticulum aperire, eumdemque servare apertum omnino conducet.

Hæmiplegia.

189. Cura eadem ac in apoplexiâ immediate supra-dictâ, cum tantum gradu ab eâ differt: in casu (vide num. 143.cum) allato largissimam venæ sectionem instituendam jussi, quam sequenti die, in

consilium advocato expertissimo Domino *Vander Woestyne*, iterare non dubitavimus. Purgans mite ex

> ℞. *Aq. vienn. unc.* iv.
> *Sal seignet. unc. sem.*
> *Syr. e succ. cit. unc.* ij.
> *M. d. u.*

præscripseram, cochleatim omni bihorio sumendum. Itidem enema sat acre injici curaveram; cataplasmata calida emollientia pedibus applicata fuerunt, quibus factum est, ut pedes, et præcipue pes hæmiplegiâ affectus, doloribus affligi podagricis ceperint. Mobilitas in bracchio magnam in partem redierat, multo minus tamen in crure, quare vesicans bracchio et cruri lateris affecti applicandum non inconsultum duximus.

190 Hâc methodo fere totaliter disparuerat morbus, et jam aëre gaudebat campestri in villâ suâ, dum, tam nimiâ exercitatione mentis, quam expositione corporis vespertino frigori, morbus rediit, qui venæ sectione, hirudinibus ano applicatis, et lenioribus eccoproticis rursum cessit, verum non ita perfecte ac primâ vice. Hirudines hic ano applicandas prætulimus, cum et hæmorrhoidibus antea laborâsset, et sæpe *hæmorrhoides* cum

podagrâ alternent: vide exemplum, quod de se ipso refert *Darwin*.

191. Verum timendum est, dum volumus evitare *scillam*, ne incidamus in *charybdim:* in hac curâ, uti et in præcedenti, non nimium evacuantibus insistendum: sic utiliter præscripsimus sequentem mixturam

℞. *Tinct. spirituos. valerian. sylv. anglic. unc.* iij.
Syr. cort. aurant.
Tinct. huxham. ana unc. ij.
Æther. drachm. ij.
M. d. u.

omni trihorio cochleatim sumendam: itidem decoctum florum *arnicæ*. — Membra affecta inunximus linimento volatili, sed stricte omnem exercitationem mentis interdiximus, et lenia consuluimus in aëre rurali exercitia.

192. Ex curâ prædictâ satis erui potest, quænam in simili casu esset instituenda. — Curam prophylacticam complebunt venæ sectio, cujus necessitatem Medicus determinabit, leniora eccoprotica, aër ruralis, fonticulus in extremitatibus, et potius inferioribus, positus. — Si signa debilitatis stomachi occurrerent, aromatica, stomachica, amara, etc. concedi

possent, verum usus eorum non sit nimium longus, ne noxæ, quæ a *pulvere Ducis Portlandiæ* per nimis longum tempus continuato producuntur, oriantur, uti antea monuimus.

VERTIGO, TREMOR,

193. Dum sunt signa apoplexiæ imminentis, uti vidimus ad num. 142., tunc eadem cura est instituenda, ac in apoplexiâ : imo venæ sectione, et aliis remediis, ibidem indicatis, et hæc præcavêri aliquando poterit. — Verum VERTIGO sæpius est morbus particularis, et a debilitate systematis nervosi dependens. *Barthez* in eâ purgantia quidem leniora, sed raro repetenda commendat, ne corpus totum, et specialiter systema nervosum debilitetur. Ego tutius ab illis abstinendum esse puto.

Roborantia hic indicantur et in primis cortex, martialia, amara, quibus utiliter adjunguntur assa fœtida, Valeriana Sylvestris Anglicana, camphora, moschus etc.

194. TREMORES etiam sæpius oriuntur a debilitate, proinde roborantia præcedenti numero enumerata hic convenient.

De Haen tremorem rheumatismalem

feliciter electrisatione abegit (vide *Sauvages*, Nosolog., tom. I, pag. 560). Nova placent, et nunc electricitas apud Medicos fere est oblivioni data, et reverâ parum ab eâ expectandum.

195. Cura prophylactica consistet in fonticulo, alterutri bracchio applicato: in servando alvum apertam lenissimis eccoproticis, vel melius enematibus, et extremitates a frigore præservando. Diæta sit eupepta, et potius animalis quam vegetalis. Equitatio in aëre rurali omnino consulenda.

CEPHALÆA

196. Seu dolor capitis, vel est symptoma podagræ regularis, et nisi summa esset, particularem non meretur attentionem; vel a podagrâ anomalâ producitur, et de hac hic agimus: intensitate variat, sed aliquando ita increscit ut delirium causet: per hebdomadas, quin imo menses extenditur, et tunc quandoque apoplexiam producit. Ætas et forma subjecti, ut collum breve, caput magnum, ætas supra quadraginta annos, et pulsus magnam dabunt lucem Medico. — Venæ sectio et evacuationes alvinæ ab aliis laudantur: alii magis timidiores venæ sectioni in bracchio aut in pede institutæ hirudines

præferunt, et tantum eccoprotica præscribunt, ne corpori nimiam inferant debilitatem.

Prægressis evacuationibus prædictis, synapismata pedibus, vel vesicantia cruribus optimo successu applicari queunt. In exemplo ad numerum 145^tum allato sequentia subjungit *Musgraeve* « ut au- » tem in pedes divertatur, nihil est uti- » lius epispasticis, inter quæ lavipedium » ex aquâ calidissimâ miros effectus præ- » stitit : novi aliquos ægros eâ methodo » sanatos.»

Curam prophylacticam absolvent eadem superius dicta in curâ prophylacticâ de vertigine.

Epilepsia.

197. Epilepsiæ a podagrâ anomalâ productæ meminit illustrissimus *Van Swieten*, verum nullam facit mentionem medelæ applicatæ. *Darwin* duobus locis exagitat modum, quo epilepsiam excitet podagra (reflectendum est enim ad ejus systema indicatum ad numerum 118.^vum): et in utroque indicat medelam. Sect. XXIV, 2, 8, dicit, in talibus casubus pulsus est debilis, et talia medicamina, quæ quiescentes partes in actionem ciunt, vel in illis, vel in remotis

inflammationem inducunt, curant præsentem torporis dolorem, et ægrum servant. — Sect. XXI, 10, dicit, a nimio potu varii oriuntur morbi, et inter alios podagra. Hanc sequuntur sæpe insania et epilepsia. Cum autem omnem podagram ab inflammatâ hepatis membranâ repetat, et reverâ viscera chylopoëtica sæpius in podagrâ atonicâ afficiantur, non sine fructu mercurialia in hoc morbo forsan tentarentur, et in primis per frictiones mercuriales ad regionem hepatis etc.

198. Epilepsiæ causa immediata vel hæret in nervorum initio, vel in nervi parte dissitâ ab encephalo. Hæc sympathica, illa idiopathica audit. Utramque speciem producere valet podagra anomala. Cura igitur prout a causâ diversâ, et diversa erit. Deinde etiam alia erit cura in paroxysmo, alia extra eumdem. In paroxysmo, si diu duraret, et apoplexia esset timenda, simulque pulsus fortis deprehenderetur, venæ sectio institui posset, verum sine hoc imminenti periculo, potius nihil agendum. Docet autem constans observatio, homines cæteris paribus huic morbo eo magis esse obnoxios, quo fuerint debilioris et laxioris fabricæ. Infantibus hinc adeo frequens epilepsia, quæ per ætatem firmato corpore sæpe

sanari solet. Nullus autem dubitat, venæ sectione semper debilitari corpus.

199. In epilepsiâ idiopathicâ primum locum obtinet Valerianæ Sylvestris Anglicanæ radix, cui utiliter adjungitur moschus. Cortex peruvianus, uti et martialia indicantur. Aquæ *Spadanæ* pro potu concedi possunt. Corporis exercitia et labor si ullibi, hic certo utilitatis esse poterunt. Jam hoc præviderat *Hyppocrates:* « Cæterum horum curam aggredi oportet Medicum, qui medendi modum » novit, si homines fuerint juvenes et » laboris amantes. »

200. Si tamen epilepsia sit sympathica, et causetur a podagrâ irregulari, cujus exemplum nobis dedit *Portal* (r): « *Mais » quelquefois les parties sont molestées » par des humeurs âcres,* dartreuses, » rheumatismales, arthritiques *ou au- » tres, qui s'y sont fixées ; d'autrefois » les nerfs ayant été piqués, distendus, » contus, la douleur y survient, ou con- » stamment, ou a diverses époques, et » les nerfs affectés transmettent dans » le cerveau, dont ils émanent, l'im- » pression morbifique: les convulsions » générales ou partielles souvent avec*

(r) *Mémoires sur la nature et le traitement de plusieurs Maladies*, tom. *II*, page 231.

» *perte de connaissance et de sentiment,*
» *en sont la suite fréquente avec des*
» *périodes plus ou moins longs, et plus*
» *ou moins réglés, ce qui caractérise*
» *la véritable épilepsie.*» Tunc Medici varia excogitârunt, ut ligaturam, quin imo destructionem nervi. *Portal* pagina sequenti laudat inunctionem *olei animalis Dippelii*, quod summis laudibus extollit.

Fonticulus extremitatibus inferioribus applicatus optimum est prophylacticum.

Delirium.

201. Delirii causa vel hæret in cerebro, vel in aliâ corporis parte: sic dixerat *Galenus*: « Quod fiant epilepsiæ,
» cari, comata, catalepses, *deliria*, me-
» lancholiæ quibusdam ob stomachum
» imbecillum, consentiente principio,
» quod in cerebro et nervis est; » et alibi de ore ventriculi sequentia habet « at
» quædam (partes), quamvis propius
» appositæ non sint, ob generis tamen
» communitatem, vel quamdam affec-
» tionis proprietatem, partes facultatum
» principia continentes lædunt. Os igitur
» ventriculi, cum vitalem facultatem ad
» sympathiam ducat, *syncopas* infert,
» cum vero animalem proprie appella-
» tam, *deliria* vel *convulsiones*. »

202. Cura itaque duplex erit, prout delirium fuerit *idiopathicum* vel *sympathicum:* ab idiophatico incipiamus. Si hic morbus in juvene robusto oriatur, venæ sectionem et evacuationes alvinas non negligendas existimarem: his prægressis balnea calida pedum, sinapismata, quin imo vesicantia cruribus applicata optime inservient, ut materia podagrica a capite derivetur, et ad pedes determinetur. Si post institutam plebotomiam pulsus adhuc sat fortis esset, hirudines ano admotæ non minimum solatium adferrent.

203. Si vero sympathicum, ut ab acri podagrico ad ventriculum delato, ordinarie ventriculi debilitas est incusanda; tunc confortantia et amara, ut cortex peruvianus, gentiana etc. (quæ tamen numquam nimis diu continuentur) in usum vocanda. Aromatica non minimum locum obtinent, ut *zinziberis* decoctum, vel *zinziber conditum*, quod mihi valde in usu est. — Sinapismata pedibus applicata, et vesicantia cruribus etiam hic convenient.

204. Cura prophylactica hic variabit prout *sympathicum* vel *idiopathicum* fuerit delirium. Fonticulus extremitatibus applicatus, exercitia in libero aëre peracta, in utroque casu convenient. In

symphatico major erit ratio habenda debilitatis, et proinde diæta magis eupepta erit utilis.

Paralysis

205. Uti delirium et epilepsia, vel causam habet in encephalo, vel in nervi parte ab encephalo remotâ; cura igitur pro diversâ mali sede differt. In primo casu cura vix differt ab eâ superius in apoplexiâ præscriptâ, et si pulsus fortis, subjectum strenuum, venæ sectio convenit, quæ forsan pro re natâ erit repetenda. Purgantia etiam danda: quibus peractis vesicantia cruribus et synapismata pedibus utiliter applicari possunt.

Prophylactice in extremitatibus instituatur fonticulus, serveturque alvus aperta.

206. Observatum fuit quandoque, quod nervi ventriculo vel hepati inservientes affecti fuerint, et sic paralysim produxerint, *systematis lactei*, vel *lymphatici*, vel *biliosi :* res periculo plena est (*s*). Cum autem hæc ordinarie tantum solent observari in ebriosis, neque tutum esset omni potui simul, et semel

(*s*) *Zoonomia*, tom. I, pag. 367, seu sect. XXI, 10.

valedicere; ut cura ejus instituatur, vina generosa sunt concedenda, et quidem generosiora quam quibus Helluo assuetus fuerat. Sic amplissimus ac clarissimus D. *Vander Belen*, quondam *Medicinæ Professor Primarius in almâ Universitate Lovaniensi*, accersitus ad reverendum D. Pastorem . . . . podagrâ atonicâ *Cullenii* verosimiliter laborantem, cujus facies etiam guttâ rosaceâ rubebat (Medici tamen loci, eum ascite laborare credebant), lagenam aut alteram vini generosi *Rhenani* evacuare jubet, cum antea esset assuetus vino albo *Toursico (de Tours)*, dicto, et postridie podagrâ regulari decumbit.

Simile quid refert *Van Swieten* (*t*) « contigit ut veteranus podagricus, stre-» nus potator decumberet, pedes vix do-» lebant, sed aderat anxietas, nausea, » lenia ventris tormina una cum debili-» tate. Medicus vini usum prohibuerat, » accessit ægrum amicus, hilaris olim » conviva, cum quo sæpius *Baccho* lita-» verat, qui illico omnia remedia amo-» vêri jussit, et horum loco propinavit » binas libras vini generosi Rhenani, hoc » effectu, ut post paucas horas acriter

(*t*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1281.

» quidem dolerent pedes, sed reliqua
» mala symptomata omnino evanuerant;
» unde doloribus jam mane imminutis,
» accedentem Medicum salse derisit æger,
» vinum podagræ remedium specificum
» jactans. »

Ab haustu vini Champanici podagram productam fuisse jam antea diximus, et eâtenus ad podagram revocandam illius experimentum tentare liceret.

Prophylactice vinum continuari debet, sed moderatior sit ejus usus. Vino consueto substituatur generosius. Diæta sit eupepta. Fonticulus non negligendus. Mercurialia hic etiam tentenda. Et præcipue præparationes dictæ *unguentum mercurii*, et *calomelas*.

207. Si autem causa hæreat in nervis propriis partium, paralysi affectarum, vesicantia, cucurbitulæ, cauterium actuale, moxa, et similia applicantur membris paralyticis, vel locis, hisce membris vicinis.

Omnino in hac specie decocta lignorum sudoriferorum laudat *Barthez*, quorum vim dicit *Hofman* augêri præparationibus antimonialibus emeticis. — *Rhododendron chrysanthum* etiam ibidem magnis encomiis celebratur, idque confirmatur salutari eventu, per id remedium obtento, testante *Weismantel.*

Hofman Monasteriensis (*u*) narrat duos casus *paralyseos* in manubus et pedibus, quæ supervenerat podagræ inveteratæ, quæque sanata fuit frictionibus mercurialibus: *Barthez* casum suspicatur complicatum cum lue venereâ. Verum jam pluries dictum fuit, curam podagræ, non sine spe eventûs tentari posse mercurialibus.

Lethargus, Carus, Coma somnolentum.

208. Hi morbi, cum parum ab *apoplexiâ* differant, quin imo generali *morborum soporosorum* nomine comprehenduntur, cum ipsâ, ex perspectâ superius traditâ apoplexiæ curâ, et horum cura facile deduci poterit, et proinde isti non insistemus.

Gutta rosacea, Achores, Herpes, etc.

209. Adeo periculosam metuit retrocessionem harum eruptionum *Musgraeve* (*v*), ut in his eruptionibus solis exceptionem faciat a regulâ generali, et dissuadeat balnea calida, aut cataplasmata calida pedibus, aut vesicantia cruribus applicanda,

---

(*u*) *Maladies goutteuses*, *tom. II*, *page* 446.
(*v*) *Ibidem*, *ibid.*, *page* 416.

ut podagra ibidem redeat. Hâc tamen redeunte ab herpete liberatum fuisse podagricum, visum fuit ad num. 78.vum

TRISMUS,

210. Quem in *idiopathicum* et *sympathicum* dividunt nosologi, a podagrâ anomalâ sæpe originem ducit. A quâlibet causâ sit oriundus, admodum periculosus est morbus. Prima igitur indicatio erit maxillarum convulsionem solvere. Hanc curam optimè descripsit *Fournier* in Dissertatione editâ Bruxellis: *Du Tétanos traumatique, anno* 1803, in quâ dicit: « Si pulsus sit fortis, plenus, du-
» rus, venæ sectio audacter est insti-
» tuenda, et pro re natâ repetenda. Bal-
» nea calida, in quibus cineres (combus-
» tione lignorum obtenti) incoquantur,
» quin imo unciæ duæ lapidis caustici
» immisceantur, magnopere commen-
» dat. Post ea laudat antispasmodica,
» inter quæ eminet *moschus*, quem
» maximis encomiis extollit: pro potu dat
» saturatam infusionem florum *arnicæ*,
» quibus additur *l'eau de Luce*, vel *al-*
» *cali volatile fluor.* — A medicamine *l'eau de Luce* in hoc morbo præstantissimum observavi effectum. — Idem

Fournier recommendat mixturam alcalinam, quam Medicus *Stutz* solitus erat dare ægrotis, tetano affectis. — Nullatenus dicit, se confidere opio, quod ut secundarium tantum remedium habet in hoc morbo: at pace illius dixerim, me in fine labentis mensis *Augusti* anno currente, per solum opium curasse trismum desiderato cum effectu.

211. Si autem pulsus parvus, vacillans, subjectum sit debile, tunc omnino a plebotomiâ abstinendum, et opium magis conveniret, uti potissimum in hoc morbo recommendârunt *Weikard* et *Sauvages*. — *Akkerman* similiter laudabat opium, cui addebat alcalina.

Præmissis jam dictis, numquam negligantur synapismata pedibus aut vesicantia cruribus applicanda, ut materies podagrica ad pedes determinetur.

Pro prophylaxi frictiones generales supra universum corpus panno laneo vel flanellis factæ convenient: roborantia, lenia exercitia in libero aëre peracta, pariterque fonticulus extremitatibus appositus, eumdem scopum adimplebunt.

Chorea sancti viti.

212. In hac, uti et in præcedenti, rursum ad pulsûs plenitudinem, fortitudinem,

vel ejus debilitatem etc. attendendum an venæ sectio necessaria sit, nec ne? in quibusdam dicit *Cullen* plebotomia fuit utilis, verum in plerisque magnum detrimentum attulit. — Magis conveniunt cortex peruvianus et martialia. — *Stoll* in hoc morbo a podagrâ anomalâ producto valerianam, flores arnicæ, extractum aconiti (*) recommendat, quibus utiliter camphoram addendum ait *Barthez.*

In electricitate, quæ hic et in paralysi commendatur, nullam repono fiduciam. Abhinc aliquot annis in cœlum extollebatur, hodie fere est oblivioni data.

Prophylactica cura ut in numero præcedenti.

Hæmorrhagia narium.

213. Hic iterum ad constitutionem, et vires ægri attendendum. In sene, de quo egi in secunda parte nulla instituebatur venæ sectio: verosimiliter per rigiditatem vasorum tam diu durabat. E contra in juniore illis horis, quibus durabat hæmorrhagia, tres venæ sectiones satis largæ celebrabantur, et optimo cum successu.

Si in junioribus dicit *Cullen*, pulsus fiat debilis, facies pallida etc. omnibus,

(*) Vide ad finem hujus partis mirabilem curam, aconito simul et cicutâ perpetratam.

quibus possumus, remediis hæmorrhagia est compescenda. *Bosquillion* commentator et traductor operum celeberrimi *Cullen*, ait, si syncope superveniat, ex eâ non est excitandus, quia sic iterum reproduceretur hæmorrhagia; in statu debilitatis reliquendus, quamvis ille diu duraret. In syncope reliquit per duodecim horas filiam, et tempore duorum dierum ipsi non dedit nisi potus acidulatos, nullaque alimenta solida permisit, et sic eam ex statu deplorando et desperato, in quem conjecerat ipsam hæmorrhagia narium, salvavit.

Van Swieten item *Quarin* commendant ut remedium raro fallens, turundam madidam aquâ, in quâ dissolutum est vitriolum album, quæ tam alte, quam possit, naribus introducatur. Verum *Bosquillion* pessimum inde effectum vidit, debuit extrahere turundam, et ægrum relinquere suæ sorti.

Hodierna Chirurgia adhuc multo præstantius remedium invenit. Narinæ, ex quâ hæmorrhagia, introducatur filum tali modo, ut in os protrudatur: extremitati hujus fili, usque in os protrusi, annexitur turunda, quam retrahit rursum Chirurgus filo extra narinam pendente, et sic turundam applicat in ore interno

venulæ vel arteriolæ disruptæ. Narinæ prædictæ tunc alteram turundam imponit, et tam alte, quam potest, eam introducit. Hâc methodo plures ægros ab orci faucibus ereptos vidi.

Interim remedia, ut materies podagrica avocetur, et ad pedes determinetur, non negligenda.

Ophthalmia.

214. Hic magnis remediis non videtur insistendum; balnea calida, pediluvia calida, sinapismata pedibus, vesicantia cruribus, omnem curam absolvent, nimirum ut acre podagricum ad pedes derivetur. Leniora eccoprotica dari possent, ut alvus servetur aperta. Leniora collyria oculis applicari poterunt, dum podagra ad pedes est determinata: secus ab omni remedio repercutiente abstinendum.

Angina.

215. Curam ejus optime describit *Sauvages* (w): « Humores e corpore evocan-
» di ope plebotomiæ, purgationis, gar-
» garismatum, vesicatoriorum ut in cy-
» nanche vulgari, verum ut e parte affectâ

(w) *Nosolog.*, *tom. I*, *page* 492.

» revellantur, et in artubus deponantur,
» enitendum est; in quo ab aliarum curâ
» hujus curatio discrepat: in quem finem
» desinente morbo suaderetur usus po-
» macei, vini albi aut rhenani, præmissâ
» catharsi, ea enim dolorem articulorum
» accersunt. Articulo prius dolenti ap-
» ponitur emplastrum ex oxycroceo, ce-
» phalico et pice Burgundicâ, vel tela
» cerata, vel phænigmus acer et stimu-
» lans, imo pediluvium in aquâ fervidâ
» quantum tolerari potest. Tumor exci-
» tatus, panno molli vel linteo duplicato
» vestiatur; cum vero ille tumor pedis
» vel genu apparet, residuum cynanches
» evanescit. »

216. Cura itaque ordinarie incipienda est a plebotomiâ. Paulo post enema injiciatur; sequenti die purgantia, ut aqua laxativa, tamarindinata, rhabarbarum etc. dari possunt. — Si pulsus adhuc fortis, subjectum strenuum etc. forsitan venæ sectio est reiteranda, vel hâc vice forsan hirudines collo admovendæ sunt. Gargarismata etiam conveniunt, attamen ne sint nimis adstringentia, et multo quidem minus, quam in aliis anginæ speciebus, est attendendum.

In vesicatoriis loco dolenti applicandis ne nimis faciles simus. — *Barthez* ut

ut ea salutaria credit, non nisi conditionatim ea admittit. — *Alphonsus Leroy* eadem omnino damnat, et pessimos effectus exinde vidit.

Interim pediluvia calida, cataplasmata calida pedibus applicata, synapismata, vesicantia cruribus, uti numero 215.[to], dictum fuit, omnino consulenda.

217. In *anginâ spasmodicâ* per podagram determinatâ cucurbitulæ convenient, item camphora, æther, moschus etc. simulque cataplasmata et pediluvia calida pedibus. — Determinatâ podagrâ ad artus, roborantia indicantur ut cortex, martialia etc.

Si suffocatio instet, et omnia incassum tentata fuerint, quæ consuluntur in anginâ convulsivâ, ad bronchotomiam est recurrendum, quâ, viribus adhuc integris, institutâ *Loubet* scribit se servasse fœminam, morientem ab anginâ arthriticâ, cum omnis transitus, et aëri et alimentis esset interceptus.

218. Prophylactice in anginâ indolis inflammatoriæ leniora eccoprotica commendantur, itemque collum contra frigus sedulo præmuniatur. In anginâ autem spasmodicâ roborantia, martialia, aromatica etc. convenient. In utroque casu laudatur fonticulus extremitatibus inferioribus applicatus.

Tussis.

219. Catharros sæpius alternare cum podagrâ visum fuit ad numerum 42.[dum], proprioque comprobatum habeo exemplo: videntur secundum *Cabanis* in quibusdam familiis hæreditarii. Ordinarie incipiunt dicit *Van Swieten* (*x*): « Cum
» sensu ponderis quasi in capite, quan-
» doque et obtusus capitis dolor adest
» præcipue circa frontem, oculi lacry-
» mantur, sternutatio oritur: paulo post
» membrana narium interna incipit tu-
» mêre, ita ut respiratio per nares inte-
» gra tollatur, et hinc aperto ore dormire
» cogantur. Sequitur tunc depluvium lym-
» phæ tenuis, acris, salsæ, nares et la-
» bium superius exulcerantis, et quidem
» tali copiâ, ut sæpe pluribus mucciniis
» opus sit homini, qui sanitatis tempore
» vix nares emungere cogitur. Solet paulo
» post sequi, quandoque etiam comitari,
» tussis molesta, quâ nihil educitur fere
» aliud, quam tenuis humor, similis na-
» turæ ac est illa lympha, quæ per nares
» depluit, unde et dolor in imo pectore
» percipitur, et quidem satis molestus.

(*x*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1261.

» Cubiculi tepore, blando victu, mollibus
» remediis, tenuis, qui antea fuerat, et
» acris humor, incipit mitior fieri ac spis-
» sior: naribus emungitur mucus coctus,
» spissus, flavescens, quasi purulentus,
» et sputa similia ex pulmone prodeunt.
» Subsident sensim tumentes membra-
» næ narium et pulmonis, redit sanitas,
» et melius se solent habêre homines
» quam ante catharrum: comitantur ca-
» tharrum plerumque tarditas et obtusus
» dolor omnium artuum, totumque cor-
» pus grave sentitur. »

220. Topica omnia remedia, quæ contra capitis catharrum, præcipue a materiâ podagricâ oriundum, laudantur, omnino negligenda existimo. Balnea pedum, vel synapismata eisdem applicata, et leniora purgantia unice utilia duxi. Sed uti *Van Swieten* observavit, solet ordinario sequi tussis, quæ si ab arthritide dependeat, et nisi materies arthritica pedes afficiat, secundum *Musgraeve* frustra becchicis impugnatur, et est periculo plena.

221. Tusses hæ sæpius sunt violentæ et pertinaces, quin imo non semper acri podagrico ad pedes deposito finiuntur. Vidi tussim, dicit *Darwin* (*y*), quæ

(*y*) *Zoonomia*, tom. IV, pag 250, seu class. IV, 2, 1, 9.

pauco annorum spatio in eâdem personâ tempore paroxysmi bis rediret cum tali pertinaciâ et vehementiâ, ut venæ sectioni, opiatis, cortici, vesicantibus, mucilaginosis, et omnibus simillibus, in tussi dari solitis, restiterint: adeo enim erat valida, ut credebatur ferina. Durabat per tres vel quatuor hebdomadas, quo toto tempore illi impossibile erat dormire, non nisi per aliquot horæ minuta. Insuper coactus erat eumdem tenêre situm in lecto erectum noctu diuque.

222. Præ ceteris tussis arthritica afficit illos, quorum pectora sunt male conformata, ut gibbosos, vel quorum pulmones ceteris corporis partibus sunt debiliores.

223. Venæ sectio in hac tussi laudatur a *Musgraeve*, dum non contra-indicatur per ætatem majorem aut debilitatem ægri, et ideo ordinarie tantum instituitur, dum vel plethora, vel hæmoptoë, vel peripneumonia ejus necessitatem demonstrant. *Barthez* loco venæ sectionis suadet hirudines pectori potius applicandas.

Lenia purgantia hic omnino conveniunt, et si primæ viæ sordibus onustæ, audacter repetenda. Decoctum stipitum dulcamaræ etiam pro potu laudatur: si tussis nimia sit, pulsus autem non nimis fortis, opiata sunt, sed parcâ copiâ danda.

Si expectoratio sit impedita, aut non debito modo peragatur, gummi ferulacea convenient ut gummi galbanum, ammoniacum etc. quibus utiliter adjunguntur camphora, scillitica, kermes minerale, enula etc. — E contra si expectoratio sit nimia, adjungit *Barthez*, purgantia rursus erunt bona, quibus superaddatur opium. In tali casu diuretica, roborantia laudantur, ut rubia tinctorum, turiones pini, et balsama nativa. Item decoctum corticis peruviani.

224. Quamvis, uti numero 221.mo dictum fuit, raro podagra ad pedes determinetur, tamen id semper tentandum pediluviis calidis, synapismatibus, vesicatoriis ad crura applicatis etc.

Prophylactica remedia consistent in victu eupepto, exercitiis quotidianis in libero aëre peractis, in fonticulo extremitatibus superioribus applicato. Si autem phthisis metuenda sit, secundum *Musgraeve* is ponendus est in dorso. — Flores sulphuris hic quoque quam maximè laudantur.

Eo magis victum analepticum hic commendari probatur ex eo, quod *Cabanis* asseruerit, dispositiones catharrales dependere sæpius a debilitate digestionis: proinde non solum cibi eupepti, sed

roborantia, amara, martialia omnino laudanda secundum *Cabanis* (z) : « *Les dispositions catharrales sont quelquefois*
» *héréditaires : on les voit se reproduire*
» *dans la même famille, et se caractériser*
» *par les mêmes phénomènes, jusqu'à*
» *la troisième et quatrième génération.*
» *Elles semblent en quelque sorte natu-*
» *relles aux enfans : des digestions in-*
» *complettes engendrent cette grande*
» *quantité d'humeurs muqueuses, dont*
» *tous leurs organes sont comme imbi-*
» *bés. Les vieillards sont tourmentés des*
» *pituites gutturales, de rhumes et des*
» *fluxions : ils meurent souvent étouffés*
» *par des catharres aigus ou chroniques,*
» *dont le principe vivant n'a pas chez*
» *eux la force de cuire, ou d'évacuer*
» *la matière : dans l'âge consistant les*
» *dispositions catharrales dépendent or-*
» *dinairement de la faiblesse des diges-*
» *tions, de l'inertie de la bile, du défaut*
» *d'énergie ou de l'irrégularité, qui s'est*
» *introduite dans les fonctions de l'or-*
» *gane extérieur, etc.* »

(a) « *Pour combattre utilement les dis-*
» *positions catharrales, il faut avant tout*
» *maintenir dans leur action naturelle*

(z) *Observations sur les Catharres*, page 96.
(a) *Ibidem*, page 98.

» *les forces de l'estomac, et corriger les*
» *vices des digestions par les moyens*
« *appropriés aux diverses circonstan-*
» *ces, etc.* »

Peripneumonia.

225. In peripneumoniâ ita necessariam judicavit *La Coste* venæ sectionem, ut ab eâ per viginti quatuor tantum horas neglectâ, mortem viderit succedaneam. Nam aperto cadavere pulmones inventi fuerunt gangrænâ affecti. — *Barthez* tamen venæ sectionem in senibus non adeo necessariam putat, quin ipsi hirudines substitui possint, applicandæ immediate supra locum affectum, sustinetque raro vel numquam venæ sectionem in hoc morbo reiterandam. Parum interesse an in bracchio vel in pede instituatur, existimo, nam pediluvia calida, aut et synapismata pedibus applicata, optima sunt topica, ut acre podagricum ad pedes determinetur. Vesicatoria duo quam maxima cruribus, cuique unum, applicentur; sed pectori vel inter scapulas applicandum vesicans nullo modo suadendum (vide numerum 88.vum).

226. Si os amarum, lingua sordida, pondus ad regionem ventriculi, nauseæ etc.

adsint, lenia purgantia convenient, secus non. Sufficiet alvum servare apertam enematibus. Nonnulli præferunt exhibêre tartarum emeticum in refracti dosi, sic tamen, ut nauseæ evitentur. Verum ne simus scrupulosi, admonendum est, cum aliqui in hoc morbo lene emeticum exhibêre non vereantur. — Pro potu decoctum graminis vel decoctum dulcamaræ, cum melle edulcoratum, dari posset. — Camphora et moschus hic etiam convenient.

Evacuationibus generalibus præmissis, præcipue si vires multum diminutæ fuerint, si sputa difficilius prodeant, tunc utiliter kermes minerale, vel sulphur auratum antimonii ad granum unum, vel duo, omni bihorio aut trihorio est exhibendum. Decoctum lichenis Islandici pro potu concedendum, huicque in convalescentibus decoctum corticis substituendum.

Pleuritis (*b*)

227. « Secundaria ut ex arthritide, vel » quæ in febribus a calidiori regimine » oritur, non adeo largam requirit san- » guinis missionem. » Medicus prout dolor

---

(*b*) *Quarin*, Method. medend. Inflamm., pag. 49.

lateris imminutus erit, nec ne, determinabit an venæ sectio sit reiteranda? — Decoctum graminis vel decoctum sæpius laudatum dulcamaræ pro potu indicantur.

Nulla fomenta aut emplastra loco dolenti applicanda. Hic ut in peripneumoniâ vesicans nequaquam loco dolenti apponendum, sed duo ad suras, in utroque crure unum. — Pediluvia calidissima pedibus, et synapismata utiliter adhibentur, ut acre podagricum ad pedes determinetur. — Si vires sint multum diminutæ, si sputa non facile prodeant, kermes minerale, vel suphur auratum antimonii ad granum unum vel alterum omni bihorio aut trihorio exhibendum.

Tunc quoque camphora a granis *xv* ad gr. *xx* nychthemeri spatio dari posset, sed quandoque ab hac dosi in pleuritide decumbentibus calorem vehementiorem, respirationem laboriosiorem, ruborem faciei intensiorem, deliria fortiora, et cætera symptomata, quæ phrenitidis futuræ metum faciebant, observavit *Quarin* (*c*) et tunc a camphorâ abstinendum esse monet. — Si ægri valde debiles fiant et pulsus celer et parvus, ad corticem est refugiendum, qui in extracto a drachmis

---

(*c*) Method. medendar. Inflammat., pag. 54.

duobus ad drachma tria nychthemeri spatio exhibêri potest.

Phthisis

228. Ad numerum 162.dum dictum fuit « quæ ab ischiade aut arthritide nata, fere » omnem opem eludit. » Etiam *Archiater Störck, in anno Medico secundo, pag.* 130: « Qui autem verâ phthisi, et » arthritide simul laborârunt, hi nequa- » quem curati sunt, verum omnes serius » aut citius periêruut. » Addamus illos, qui huc usque, et ab aliis phthyseos speciebus evasêrunt, numero paucos esse. Interim *Barthez* in hac phthyseos specie, quam tripliciter subdivisit, non omnino desperat, eo magis quod a celeberrimo *Quarin*, quemdam a podagrâ vagâ phthisicum, *cicutâ* (*) sanatum refert. — Inter præstantissima remedia fonticulos, corticem, et alia roborantia, victum analepticum, exercitium quotidianum, sed moderatum in libero aëre peractum, ut equitationem, vectionem in rhedâ vel curru etc. reponit. Qui plura desiderat circa hunc morbum, opus adeat eximium illustrissimi *Barthez, Traité des Maladies*

(*) Vide in fine observationem a D.° *De Mann* factam.

goutteuses, ubi agit de phthysi. — Remedia prophylactica ibidem etiam consuli poterunt, quæ vix differunt ab aliis tam sæpe citatis, nisi quod quædam aquæ minerales, et quidem diversæ speciei ibidem commendantur.

Cum jam a semi-anno magni Nosocomii Militaris, sic dicti *Deynse in Akkergem* Medicus, frequens mihi occasio fuit experimentum faciendi remedii, quod contra phthisim etiam desperatam recommendat *Amelung* Medicus Germanus : constat ex aquæ destillatæ unciis *iv*, syrupo *diamorum* drachmis *ij*, tincturæ opii scrupulo *j*, sacchari Saturni grano *j* intra nychthemerum sumendum. Aliquoties mihi successit, sæpius frustra datum fuit. In uno, qui eodem sanitati restitutus fuit, et de quo omnino desperabam, observavi crispationes in digitis manuum, sed quæ, dato purgante, cessavêre. Cum omnia fere remedia contra dirum hunc morbum fuêrunt vana, et hoc omnino ut tentetur, consulendum est.

Hydro-thorax, Anasarca pulmonum.

829. Causam hydro-thoracis et anasarcæ pulmonum a podagrâ anomalâ oriundam pulcherrime explicat *Darwin* (*d*). Ut præstantissimum remedium in illis laudat *digitalem* et *scillam*, verum hanc illi longe anteponerem. Nuper litem vehementissimam exortam vidimus, inter D. *Van Rotterdam*, Medicinæ Professorem,

---

(*d*) *Zoonomia*, tom. III, pag. 169 seu art. I, 2, 3, 14.

et D. *Kluyskens*, Chirurgiæ Professorem, qui summis encomiis *Digitalem* extollebat. In Angliâ jam minor ejus usus, nullus apud Medicos nostrates, quin imo fere totaliter disparuit in nosocomio nostro civili. Quid de eo censendum, clare patet ex opere nuperrime a D. *Wauters*, practico Gandavensi, edito, qui impartialiter et virtutes et noxas, ab eo remedio observatas, enarrat. Quod autem ad me spectat, binis consultationibus interfui, in quibus Medicus, veniens ab ore longinquo, *Digitalem* ut remedium præstantissimum extolleret, nobis renitentibus. Cum autem ægrorum amici, ut ordinarie fieri solet, pro novitate inclinarent, casusque omnino desperati essent, fortius huic recalcitrare inconsultum duximus. — Primus ægrotus hydrope pectoris affectus, et ecce secundo die post usum digitalem inopinato moritur! Altera erat phthisica, quæ numquam hæmoptoë laboraverat, usa per quosdam dies digitali, horâ primâ noctis adeo vehementi hæmoptoë afficitur, ut antequam maritus, qui in alio cubiculo lectum petiverat, adesse posset, jam erat e vivis sublata.

Hæc per transennam, et scillitica multo præstantiora sunt habenda. Sic a pillulis sequentibus, et ab æthere, in

appropriato vehiculo dato, apud Reverendissimum Dominum Pastorem *Vanden Bossche* optimum consecuti fuimus effectum.

℞. *Rhei elect. drachm. unam et sem.*
Terr. foliat. tart. drachm. unam.
Gumm. ammoniac. drach. duas
P. scill. præpar. drachm. sem.
Elix. ppriet. q. s. f. pill. gr. v.

Quarum ter in die assumat pillulas numero tres. Si dosim non ferant ægri, a minori dosi incipiendum, quæ sensim augebitur. Vel si sub formâ pillularum medicamina non arridêrent, posset componi emulsio ex g. ammoniaco, et aquâ aliquâ destillatâ, et cætera illi miscêri. — Kermes minerale hic etiam tentari meretur, et ipecacuanha in refractâ dosi data.

(*e*) Fonticuli satis magni, immediate supra genu in utroque femore positi, in his morbis et præcipue in anasarcâ pulmonum, magnæ utilitatis erunt. Interea remedia, quæ materiem podagricam a partibus nobilioribus derivare, et ad pedes evocare possunt, non negligenda, ut pediluvia calida, sinaspimata pedibus, quin imo vesicantia cruribus applicata.

(*e*) *Zoonomia*, tom. III, pag. 296, seu class. II, 1, 1, 9.

Roborantia, amaricantia, martialia omnino conveniunt. Attendendum quam maxime consuetudini, ut in exemplo Pastoris supra allato, et vino albo substituendum vinum *Rhenanum, Hispanicum, Tockaviense, Oporto, etc.*

Prophylactice conveniet apertos servare fonticulos supra genu positos. Convenient etiam victus eupeptus, et exercitia quotidiana in libero aëre peracta.

Asthma

230. Dividitur in *humidum* et *siccum.* Utraque species a podagrâ anomalâ excitari potest. Gibbosi quoque frequentius hoc malo laborant ob pectoris angustias, et nervorum spinalium, quæ cum intercostalibus committuntur, pressionem.

Probabiles admodum sunt rationes, ut credamus *asthma humorale* originem debêre momentaneæ anasarcæ pulmonum. Sic opinatur *Darwin*, in *Zoonomia*, class. I, 2, 3, 14 et class. II, 1, 1, 8. Remedia itaque in anasarcâ pulmonum laudata et hic convenient, ut *scilla, g. ammoniacum, æther, ipecacuanha* in refractâ dosi. — Rarius venæ sectio convenit, raro *opium.* Aër purus, novus anxie ab ægroto desideratur.

Fonticuli supra genu positi hic utilissimi erunt, pariterque ea, quæ tum numero superiori, tum alibi, jam sæpius diximus in usum vocanda, ut acre podagricum a partibus nobilioribus avocetur, et ad pedes determinetur. — Decoctum stipitum dulcamaræ, et decoctum radicis *Polygalæ Senekæ* hic laudantur.

Prophylactice indicantur victus analepticus, vinum generosum, sed modice sumptum, cortex, martialia etc., flores sulphuris hic etiam utiles sunt. — Aër quo purior est, id est, quo magis abundat *oxygene,* eo melior est, uti probavit *Beddoës* (*f*).

231. *Asthma convulsivum* seu *siccum,* ut ex nomine patescit, ab aliâ causâ dependet, et potius tractandum est, ut epilepsia etc. Venæ sectio aliquando convenit. *Musgraeve* specialiter recommendat alcalina volatilia, ut spir. c. c.: fertur *Willis* specificum habuisse in asthmate, quod constaret ex compositione sulphuris et salis volatilis alcalini.

Opium, ejusque compositiones variæ, ut elixir paregoricum, et assa fœtida, moschus, camphora, æther etc. hic in usum

(*f*) *Zoonomia*, tom. III, pag. 296 seu class. II, 1, 1, 9.

vocari possunt: ipecacuanha in refractâ dosi pariter hic laudatur. Pediluvia calida, synapismata pedibus, et vesicantia suris utiliter applicabuntur ad materiam podagricam ad pedes determinandam.

Prophylactice cortex, martialia, Valeriana Sylvestris Anglicana, gummata ferulacea, et diæta eupepta convenient. Item fonticulus in utroque femore supra genu, immediate factus, omnino laudandus

In asthmate humido aër abundans *oxygene* omnino desiderabatur, hic e contra aër, qui abundat *hydrogene*, convenit multo magis, ut probavit Dr. *Feriar* (*g*).

Angina pectoris.

232. Si hic morbus in se spectatur, curari nequit, et incurabilis habêri debet: nam ossificatio arteriarum coronariarum per antispasmodica, et fonticulos tolli non potest. Cura igitur tantum palliativa est adhibenda, quæ consistet in venæ sectionibus repetitis, prout vires ægri ferent, aliquando in antispasmodicis, opiatis; alio casu in expectorantibus et stimulantibus: alio rursus casu in diureticis.

(*g*) *Zoonomia*, tom. IV, pag. 4, seu class. III, 1, 1, 12.

Pediluvia calida, synapismata pedibus, et vesicantia suris applicata, optima rursus erunt remedia in hoc morbo.

Fonticuli duplicis dimensionis, ac ordinarie esse solent, in utroque femore supra genu unus, ut optimum remedium a *Macbride*, a *Darwin* et a *Parry* laudantur.

233. Curam tantum innuimus palliativam, nam radicalis impossibilis est ut numero superiore diximus. *Bibliotheca Britannica* (*h*) postquam hanc opinionem confirmavit, citat duos casus, qui anginam pectoris referebant : autopsiâ unius constitit hepar, non cor, in casu pathologico fuisse. Alter casus erat Chirurgi, qui videbatur hoc morbo laborare : applicabantur ipsi fonticuli duo supra genua, verum curatus fuit diarrhæâ biliosâ superveniente, antequam effectum a fonticulis sperare posset.

Pastor in *Saarlardingen*, de quo egimus ad numerum 163.ium, et cujus morbus omnia symptomata referebat morbi, primum ab *Heberden* descripti, tunc a *Fothergill*, a *Macbride* et recentissime a *Parry*, jam plus quam quatuor annis bene se habet, et curatus videtur.

(*h*) *Bibliothèque Brittan.*, pro mense julio 1808. — *Essais de Médecine philosophique expérimentale*, *Dr.* Thom. Percival, *page* 239.

234. Signa diagnostica hujus morbi non adeo certa esse, ac authoribus supra dictis visum fuit, recte concludi posse videtur. Nemo facile credet, ossificationem coronariarum per fonticulos, per antispasmodica, mutari posse. Deinde autopsia primi casûs docuit vitia hepatis, et non cordis, quamvis ex signis, durante vitâ, conclusum fuerat, anginam pectoris ibidem adfuisse.

Hæc ut ut ignorantiam nostram in hac parte testantur, eodem tempore nos docent, neminem temere suæ sorti esse relinquendum, et morbos, qui, si re-ipsâ existerent ac nos putamus, incurabiles essent, quandoque curari, quamvis curam admittere non videntur.

Acidum phosphoricum, cujus experimentum fecimus in morbo D. *Van Aelbrouck*, Pastoris in *Maeter*, in similibus casubus tentandum est, cum *Baumes* citat duas curationes, hoc remedio feliciter peractas.

235. Cura prophylactica præcipue in eo consistit, ut debito regimine evitetur obesitas. — Diæta non sit eupepta, et vegetabilis potius quam animalis; attendendum autem est ad consuetudinem, vivendi rationem etc. — Lenia exercitia ut vectio in rheda, curru etc. equitatio in aëre libero peracta, omnino consulenda.

Catharrus suffocativus

236. Est quasi complicatio asthmatis *humoralis* et *convulsivi*, cura igitur analoga esse debet; proinde cura videtur prius adhibenda, in asthmate convulsivo dicta, et postea illa, quæ in asthmate humorali præscripta fuit. Proinde pulsus et vires ægri indicabunt an venæ sectio necessaria, quæ secus videtur negligenda. Melius convenient antispasmodica ut æther, camphora, moschus, assa fœtida, spiritus salis ammoniaci etc. cucurbitulæ non scarificatæ, dorso inter scapulas, vel pectori applicatæ, quin imo epigastrio. — Linimentum volatile locis statim enumeratis inunctum. — Cum vesicantia tardius agunt, aliqui auctores laudârunt cauterium actuale.

Pediluvia calida, synapismata, et vesicantia ad suras tam sæpe laudata, et hic in usum vocanda.

Affectione convulsivâ per remedia superius dicta superatâ, convenient remedia expectorantia, ut g. ammoniacum, scillitica etc.

Prophylaxis deduci potest ex illis, quæ de prophylaxi diximus, cum egimus de asthmate.

SYNCOPE.

237. Syncopen plus semel observavi in podagrico, qui abusum in spirituosis fecerat. Aquis odorantibus, naso admotis, manubus aquæ frigidæ immersis, aceto temporibus applicato, excitare eum conabantur propinqui. — Cardiaca in hoc morbo convenient fortissima, ne statim e vivis tollantur: vina generosa, quibus superaddi posset spiritus c. c. succinatus : quin imo opiata hic utilia esse possunt. Frictiones sunt excitandæ supra corpus, et stupæ, spiritui vini calefacto immersæ, scrobiculo cordis, et toti abdomini applicandæ, sæpiusque renovandæ. *Barthez* distinxit duas species syncopes (*i*), et in gravissimâ vult abstinendum a cardiacis et excitantibus, quæ tunc mortem inferrent, et soli opio fidendum.

Dum e syncope excitatus est æger, causa inquirenda, quæ syncopen immediate produxit: si forsan ab assumpto cibo quodam inepto etc. tunc subito assumatur emeticum, ut ille ex corpore propellatur. — Pediluvia calida, synapismata,

---

(*i*) *Maladies goutteuses, tom. II, pag.* 255 *et* 256.

aut vesicantia suris applicata, hic et utilissima erunt.

Prophylactice fonticuli erunt suadendi, martialia et roborantia convenient, item victus analepticus; vina generosa, sed modice sumpta, erunt congrua. A potu aquæ puræ omnino abstinendum.

Arthritis ventriculi et intestinorum.

238. Acre podagricum ad ventriculum et intestina delatum, varias ibidem excitat tragædias, quæ variam proinde requirunt medelam. *Podagram anomalam* subdiviserat *Cullen* in *atonicam, retrogressam* et *deviam (misplaced gout)*. In hac aliquando utilem judicaverat venæ sectionem, ast in aliis speciebus ejusdem non meminiscitur. Verum et in *retrogressâ* eamdem aliquando necessariam esse testatur *Van Swieten* (*k*): in casu allato de milite, qui dolentes artus perfricaverat spiritu vini camphorato etc. addit: « Dato » laudano et quidem audaci dosi evo- » muit copiam bilis viridescentis, et dein- » de *sanguinis missione* ac vesicantibus » ad crura applicatis, ex ipsis orci fauci- » bus est ereptus. » Attamen verum manet, maximâ pro parte podagram ventriculi

(*k*) Comment. in Aphor. Boerhav., §. 1273.

anomalam ab ejus debilitate esse repetendam.

Podagræ atonicæ sequentia statuit signa *Cullen*: acre podagricum in corpore quidem abundat, sed statum inflammatorium artuum non producit, et simul adsunt hæ ventriculi affectiones: appetitus dejectus; ore assumpta, cruda et indigesta in ventriculo remanent: indigestionem concomitantur ægritudo, nauseæ, vomitus, flatus, eructationes acidæ et dolor ad regionem ventriculi. Non raro etiam adsunt dolores et spasmi ad diversas corporis partes, et in primis ad brachia, qui emisso superius flatu diminuuntur. Aliquando cum his adest alvus adstricta, alio tempore alvus laxa cum doloribus colicis. — Has primarum viarum affectiones attendit sæpius hypochondriasis ordinariis stipata satellitibus, ut mens dejecta, attentio constans et anxia ad minimum dolorem, quam augêri continuo imaginatur æger, et a quo magnum pertimescit periculum. Quin imo ab his enatam observârunt auctores MELANCHOLIAM.

239. Cura igitur podagræ anomalæ, a debilitate ventriculi oriundæ, consistet in roborando corpore, et præcipue ventriculo, dum sedulo evitabuntur omnes causæ,

quæ prædictam debilitatem inferunt. — Inter roborantia equitatio in aëre libero, nec non moderata ambulatio primum locum obtinent. Diæta sit animalis, evitetur e contra vegetalis: potus sit vinum generosum, sed moderate sumptum; *Sydenham* laudabat vinum *canariense*. Si tamen omne vinum quamvis generosissimum in acidum verteretur in stomacho, et huic tunc substituendus esset spiritus, aquâ dilutus. Amara et præcipue cortex peruvianus hic convenient; ferrum et aromata, ut zinziber, hic non ultimum locum habent.

240. Non raro et sordes in primis viis observantur, quod ex signis linguæ et oris cognoscetur. Tunc evacuantia sursum vel deorsum indicantur. Priori evacuationi *ypecacuanha* vel decoctum *cardui benedicti* satisfacient. Attamen caute cum vomitoriis incedendum, quia si ægri bibere haud possent, vel recusent, per actionem emetici major copia materiei podagricæ ad ventriculum ciëri posset; secus purgantia parum fortiora ut *rheum*, *rad. jalap. resin.* etc. exhibêri possunt. Sive purgans, sive emeticum exhiberet podagricis *Sydenham*, solitus erat dare vesperi lene paregoricum, quibus compesceret excitatas turbas.

241. Verum quandoque casus observantur, ut a *Musgraeve* et *Darwin,* qui paucarum horarum spatio deveniunt lethales. Tunc nullatenus ad evacuantia attendendum. Cardiaca fortissima tunc sunt adhibenda. In tali casu laudat *Darwin* opium, spir. c. c. succin., spir. sal. ammoniac. vinosum vel oleosum etc. olea essentialia, aromatica, vina generosa ut *Hispanicum, Tockaviense, Madera, Oporto.* — Si autem non adeo urgeant, cardiaca minus fortia sunt adhibenda, ut spiritus vini mixtus cum aquâ, vinum generosum, aromata, serpentaria virginiana etc. scutum stomachicum *Fulleri* optime stomacho talibus in casubus applicaretur. — Quandoque et flatus et *Borborigmi* observantur, tunc utiliter spiritus carminativus *Sylvii* cum aromatibus exhibetur, quibus non incongrue additur laudanum liquidum *Sydenhami.* — His prægressis vesicantia cruribus, et synapismata pedibus applicentur, ut acre podagricum ad pedes derivetur.

Prophylaxim complebunt martialia, amara, stomachica, inter quæ eminet cortex peruvianus, gentiana, lignum quassiæ etc., equitatio, et obambulatio, quæ tamen sit moderata. Item fonticulus extremitatibus inferioribus appositus.

CARDIALGIA.

242. Sequentia refert ex *Sydenhamo, Sauvages* (*l*) : « Maxime familiaris est » ventriculi languor cum ventris tormi- » nibus apud arthriticos diu podagrâ con- » flictatos; in hoc casu nihil æque votis » respondet ac vini canarini haustulus sub- » inde deglutitus; exercitio utatur æger. » Si autem symptoma inducias non fe- » rens, mortem minitetur, modo caput » malum simul non impetat, ad lauda- » num statim confugiendum; hac ipsâ » methodo se ab imminenti morte libe- » ravit *Sydenham*, ubi ex errore aliquo » in ingentem stomachi ægritudinem in- » ciderat cum vomituritione et aliquali » ventris dolore, artus interim ex retro- » cessione materiæ arthriticæ, doloris » erant expertes, et ad motum plus so- » lito habiles: congium nempe unum li- » quoris possetici devorabat, et quam » primum totum per vomitum rejecerat, » vini canarini haustum cum laudani sui » guttis sexdecim sumebat: quod si huic » remedio non cedat, sudor provocetur » methodo et medicamentis huic usui » dicatis ad biduum, triduumve, mane

(*l*) *Nosolog., tom. II, page* 91.

» et vesperi per duas tresve horas con-
» tinuas. »

243. Chirurgus *Small* (*m*), qui a cardialgiâ liberatus fuit superveniente podagræ paroxysmo, dicit, se rustra tentasse varia remedia, et tandem aquas *Bath*, per quas per biennium a doloribus liber fuerat: cum autem ejus negotia non permitterent eisdem ad fontes uti, consultum ipsi fuit, ut caperet quotidie infusum zinziberis (methodus utendi illo vidêri potest in casu, quem citamus). Curam incepit tempore hiemis, et *Aprili* sequenti jam primo afficiebatur podagræ regularis paroxysmo. Podagricorum cætui adscriptus, deinceps a cardialgiâ satis liber vixit, illâ tantum vexabatur, dum per summum frigus immediate post prandium exiret.

Small adhuc dubitabat, an hic effectus (qui podagram produxerat) zinziberi esset adscribendus? Videtur responsio affirmativa, cum nuperrime præses Societatis Regiæ Londinensis communicaverit *Instituto Galliæ* per epistolam, *zinziber* (*n*) *in lacte decoctum* præstantissimum esse

---

(*m*) *Medical observations and inquiries*, *t. VI*, *pag.* 198.

(*n*) *Clef du Cabinet des Souverains*, *n.°* 1453, *page* 4.

remedium ad materiem podagricam retropulsam ad pristinam sedem determinandam. — Magni momenti facio zinziberis conditum, et plus semel salutares ipsius effectus in praxi meâ vidi.

In cardialgiâ scutum stomachicum aromaticum epigastrio applicare convenit (*o*).

Pro prophylaxi vide num 241.mum

Gastritis, Enteritis.

244. Historiam enteritidis, a podagrâ anomalâ enatæ, nobis enarrat *Pinel* (*p*). Si autem enteritis ab hac causâ observata fuerit, gastritidem ab eâdem causâ consequenter produci posse, nullus Medicorum dubitabit. Cura incipienda est a plebotomiâ vel in bracchio vel in pede institutâ, repetendâ prout vires ægri ferunt. Si autem ob vires diminutas repetitam venæ sectionem non ferat æger, hirudines vel loco dolenti, vel ano applicatæ, cum minus debilitent, omnino convenient. — Opiata omnino utilia, et satis largâ dosi exhibenda uti vidimus ad numerum 238.vum Propotu decoctum hordæi vel avenæ conveniet. Fomenta levissima

---

(*o*) *Quarin*, Animadvers. in Morbos chronicos, pag 239.

(*p*) *Médecine clinique*, *page* 159.

calida ex decoctis malvæ, aliarumque e simile specie herbarum, utiliter abdomini applicanda erunt.

245. Remedia naturaliter hic indicata sunt antiphlogistica ut nitrum, quibus utiliter additur camphora. Si primæ viæ a sordibus purgandæ, quod sæpe satis accidit, decoctum tamarindinatum, vel pulpa cassiæ multâ aquâ diluta, hic in usum vocanda. Enemata pariter emollientia tentari possunt, licet tamen a *Dureto* reprobentur. — Cum hæc peragantur, nullatenus negligenda topica, partibus dolentibus applicata, ut semicupium, pultes calidæ ex pane et lacte compositæ, et si hæc non sufficiant, vesicantia cruribus, et synapismata pedibus applicentur.

Nonnulli vesicantia suadent abdomini applicanda. Verum multas ob rationes talem medendi rationem laudare non possum.

Cura, quam nobis dat casu allegato doctissimus D. *Pinel*, nullo modo videtur imitanda. Ibidem *medicinam* egit latissimo sensu *expectantem* dictam: equidem nono die dicit, *pouls serré, un peu dur*, quare si venæ sectio forsan contra-indicaretur, hirudines non applicavit ut superius dictum? Quare ante vigesimam secundam diem cataplasmata vel synapismata

pedibus non applicavit, ut acre podagricum ad eosdem determinaret?

Cholera morbus

246. Vires ægri hic maxime sunt attendendæ; quare si vigeant et dolor sit intensus, *Sydenham* venæ sectionem quidem commendavit, ast videtur nimis fuisse audax. Potius decoctum hordei vel avenæ, imo aquam dilutam pulli, dare præferrem. Ex eisdem etiam decoctis possent quædam injici enemata: hac methodo evacuationes quidem augentur, sed et si forsan primæ viæ sordibus onustæ fuerint, et illæ purgabuntur. — His peractis remedium anti-emeticum *Riverii* tuto dari posset, quod ex syrupi citri vel limonum unciâ unâ, et salis absynthii scrupulo uno consistit, tempore effervescentiæ sumendum. Si dolor, si debilitas urgeant, cum aquæ menthæ vel cinnamomi unciâ unâ guttulæ *xx* laudani liquidi de tempore in tempus propinentur. Clysmata ex decocto seminis lini tepida, vel ex amylo, parvâ dosi, ut retineantur, injici possunt. Redeunte vel pergente vomitu, ad anti-emeticum redeundum, et opium largiori dosi dandum. — Si ut aliquando fit, singultus superveniat,

extremitates frigeant etc. moschus, camphora etc. in usum sunt vocanda. Interim topica non sunt negligenda, ut materies podagrica ad pedes revocetur, uti jam sæpius est dictum. — Morbo superato, vires extracto corticis peruviani, et vino generoso erigendæ sunt.

In prophylaxi enitendum, est ut roborentur intestina: per quæ hoc conamur jam antea dictum est numero 241.mo Leniora eccoprotica hic quoque laudantur de tempore in tempus sumenda, ne sordes colligantur.

MUSGRAEVE omnino recommendat aquas minerales tam purgantes quam diureticas.

DIARRHÆA

247. Si durante paroxysmo podagrico oriatur, et æger de cætero recte valeat; relinquenda est; sin vero vires imminuantur, aut alia mala symptomata observentur, illico compescenda est cum subito necet (*q*). — Hæc compescitur opiatis, astringentibus ut radice *colombo*, mucilagine radicis *salep* vel *gummi arabici* etc. quandoque et hisce resistit, et tunc statim, monente *Sydenhamo*, sudores excitandi sunt. Vide num. 65.tum

(*q*) Animadv. in Morbos chronicos, pag. 239.

Interim materies podagrica ad pedes alliciatur, quod balneis tepidis pedum, cataplasmatibus calidis, quin imo, si urgeat res, synapismatibus ad pedes applicatis, et ad suras vesicantibus, obtinêri potest.

Cura prophylactica consistet in roborandis intestinis. Martialia hic primum locum obtinent, et ut talia *aquæ Spadanæ* convenient. Cortex in decocto aut extracto datus, radix colombo etc. hic utilia esse poterunt. Fonticulus in extremitatibus inferioribus positus omnino consulendus.

Dysenteria

248. Uti ad numerum 169.^{num} vidimus, aliquando bono omine podagræ supervenit; tunc nihil agendum est, et illa sibi relinquenda, sed et sæpius nocet, et de hoc casu hic agendum.

Cum generaliter morbi sporadici, tempore alicujus epidemiæ supervenient participent de morbo regnante, a fortiori dysenteria, si tempore epidemiæ dysentericæ podagrico superveniat, omnino ad indolem epidemiæ est reflectendum, cum hæ sæpe multum inter se differant, et teste *Sydenhamo*, quâ methodo, currente anno, ægrotos liberaveris, eâdem ipsâ

forsan jam anno vertente ex medio tolles. Sic Galli milites in *Italiâ*, regnante Ludovico XIV, fere omnes, quibus ypecacuanha exhibebatur, periêrunt, cum antea quam plurimi in exercitu Gallico *Sedani*, dysenteriâ laborantes, curati essent, vomitu per ypecacuanham excitato.

Dysenteriam vidi epidemicam, in quâ si primis diebus negligeretur emeticum, quintâ vel sextâ die apthæ in ore erumperent, quæ sic per ventriculum ad intestina, quin imo ad annum usque proserperent. Neminem, cui apthæ prodierant, servatum vidi. — Anno præcedenti dysenteriam observaveram, quæ in initio epidemiæ manifeste erat indolîs inflammatoriæ; plebotamia negligebatur ob præjudicatam populi opinionem, paucique etiam in initio servati fuerunt. — Tertiam vidi epidemiam dysentericam, in quâ primis viis per eccoprotica evacuatis, tota cura mucilaginosis etnarcoticis absolvebatur.

249. « Diversa est, ait *Quarin* (*r*), » dysenteriæ pro diversâ ejus naturâ cu- » ratio, persæpe ex acri ad intestina delato » originem ducit; raro admodum perfecte » inflammatoria est, quandoque rheuma- » tica, biliosa, putrida, vel ex his mixta,

---

(*r*) Animadv. in Morbos chronicos, pag. 73.

» ut rheumatico-biliosa occurrit; nonnum-
» quam sub initio inflammatorium, dein-
» ceps vero putridum dominatur. »

250. Cum dysenteria inflammatoriæ est naturæ, venæ sectio est necessaria, et forsitan repetenda, prout vires ægri necessitatem determinabunt. Secundæ venæ sectioni substitui possunt hirudines, abdomini applicatæ vel ano. — Enemata emollientia utiliter ano injicientur. Pro potu decoctum hordei, avenæ, quæ sæpius sed parcâ copiâ assumantur. — Nitrum cum camphorâ hic etiam indicatur.

In morbo provecto *Barthez* omnino laudat flores arnicæ. Interim topica tam sæpe laudata, ut podagrica materies ad pedes derivetur, nequaquam negligentur.

251. Cum autem a laxitate intestinorum proveniat, rheum et demulcentia convenient. Vesperi *Theriaca Andromachi*, aut aliud opii præparatum totam curam sæpius absolvent. Si autem morbus et jam sit provectus, et vires nimis debiles sint, *arnica* rursum a *Barthez* laudatur. Potius præferrem cum *Akenzide* decoctum corticis peruviani, quibus utiliter adjungetur aqua cinnamomi, vel tinctura ejusdem. Procul dubio radix *colombo* hic omnino conveniret.

252. Nonnumquam a spasmodicâ affectione originem ducit, et tunc opium

interne datum, et externe abdomini applicatum, omnino satisfaciet indicationi. Utiliter opio adjungitur camphora et ypecacuanha secundum *Quarin*.

Cataplasmata, uti et enemata emollientia hic in usum vocari possunt. Mixtura ex mucilagine gummi arabici, radicis salep *etc.* decoctum ex camomillo romano *etc.* pro potu hic dari possunt.

Hic, uti et dum agitur de diarrhææ rursus cataplasmata calida *etc.* ut acre podagricum ad pedes determinetur, omnino utilia.

Varia a variis adhuc indicantur ut *salicaria*, *faba pichurim*, *bolus armena*, *alumen*, *cortex peruvianus*, *tormentilla*, *colombo etc.* quæ et quando convenient, invenire est apud auctores.

Cura prophylactica consistit in illis, quæ roborant intestina *etc.* pro quâ vide curam prophylacticam indicatam pro diarrhææ.

Hepatitis.

253. Hepatitidem productam vidimus (numero 59.no) ab imprudenti usu corticis peruviani, vel pulveris *Ducis Portlandiæ*: neglecta fuerat venæ sectio, quæ procul dubio omnino erat necessaria, et forsan reiteranda. Fatendum tamen,

inflammationes ab abusu horum remediorum, supra recensitorum oriundas, pro maximâ parte, et breviter fuisse lethales.

Saunders (*s*) ejusdem est sententiæ, et indicat venæ sectionem omnino necessariam, quin imo repetendam. Adjungit purgantia salina, ut remedia maxime appropriata, et vesicantia, quæ tamen ob rationes superius dictas, dum hic morbus a materie podagricâ produceretur, non convenirent. — Decoctum radicum graminis et taraxici, quin imo succus graminis, ob curam insignem hisce perpetratam, ut refert *Van Swieten*, hic etiam tentari merentur.

254. Venæ sectione, purgationibus prægressis, *Saunders* hepatitidem, adinstar Medicorum indicorum, aggreditur mercurialibus (*t*). Inter mercurii præparata præfert unguentum mercuriale et calomelam.

Nobilissima Domina de V. . . . . natam de L. . . . afficiebatur hepatitide cum ictero. Signa non dubia aderant inflammationis. Venæ sectione, et purgantibus eccoproticis præmissis, frictiones instituimus ad regionem hepatis cum unguento mercuriali, et interea calomelam dedimus sub formâ pilularum, eo cum successu, ut quatuordecim

---

(*s*) *Traité de la structure, des fonctions, et des Maladies du Foie, page* 170.

(*t*) *Ibidem, page* 201.

dierum spatio ad pristinum statum esset restituta. Verum est, hæc Domina non laborabat hepatitide a podagrâ oriundâ: pariter *Saunders* in tractatu suo nullatenus mentionem facit de hac hepatitidis specie: sed jam pluries, usui mercurii in podagrâ annuimus: quâ propter minime veremur, ejus usum in hâc hepatitidis specie omnino recommendare practicis.

Icterus, Calculi biliares.

255. Exortâ ad pedes podagrâ, ait *Darwin* (num. 170.mo) cessat illico icterus: at nullam medelam nobis suppeditat. Verum non ita facile cedunt calculi, et verosimiliter icterus a calculis productus. Observatum fuit dicit *Portal* (*v*), quod illi, qui calculis renalibus et biliaribus eodem tempore afficerentur, et etiam vexarentur podagrâ, et quidem dyspnæâ.

Potentissimum remedium in ictero, est iterum mercurius, datus sub iisdem præparationibus ac numero præcedenti dictum fuit: inter plurimos casus, quibus virtutem ejus in hoc morbo probare possem, duos attulisse sufficiet. Objicere mihi iterum possunt, casus istos non spectare ad icterum, a podagrâ oriundum,

(*v*) *Cours d'Anatomie médicale*, *tom. V*, *p*. 387.

verum illis respondeo, in omni morbo cum podagrâ complicato, et podagræ quidem esse habendam rationem, sed minime negligendum esse morbum, cum eâ complicatum.

256. Religiosa quædam jam multis annis vexabatur ictero periodico, qui singulis duobus mensibus recurreret cum doloribus ventriculi vix ferendis. Dato narcotico dolores sedabantur, et paucos post dies aberat omnis icterus. Verum hæc cura tantum erat palliativa. Cum patrem ejus, senio magis, quam morbo confectum, inviserem, meam implorat opem: memor operis doctissimi *Saunders*, dejectam ejus mentem erigo, eam me sanaturam spopondeo, stoque promissis. Frictionibus mercurialibus ad regionem hepatis factis, quibus unciæ tres cum dimidiâ absorptæ fuerunt, nec icterus nec dolores umquam amplius redierunt.

257. Alter est casus uxoris cujusdam pistoris, quæ etiam ictero periodico affecta fuerat per multos annos, et arte magicâ (*tooverkonst*) se vexari, firmiter persuasum habebat, quâ propter plus unum Ecclesiasticum jam consuluerat. Hæc non minus insignem a frictionibus mercurialibus opem obtinuit. Frictionibus mercurialibus adjunxeram calomelam, ut

alvum parumper movêrem, quam singulâ vice examinari jusseram. Post vehementissimum et dolentissimum paroxysmum deposuit alvum cineritii coloris ut præcedentes, in qua invenimus calculos numero triginta quatuor, quorum septem maximos ipsa servavit, reliquos viginti septem mihi dedit, quos transmisi expertissimo D. *Beyts*, ut illos analysi chemicæ submitteret. Ab illo tempore et a doloribus, et ab ictero immunis vixit.

Qui præoccupatâ opinione ductus, mercurialibus uti nollet, efficacem invenire posset medelam in succo graminis, cujus virtutes plurimis confirmat exemplis *Swietenius*.

Remedia, quæ fere in omni morbo consuluimus ad materiem podagricam é visceribus evocandam, et ad pedes determinandam, nullatenus negligantur. Prophylactice convenient exercitia in libero aëre peracta, equitatio, frictiones supra abdomen et nudâ manu factæ: item fonticulus extremitatibns inferioribus applicatur.

Nephritis.

258. Cura hic distingui debet: vel et simul nephritis adest, et podagra in articulis, vel nephritis sola. In hoc casu venæ sectio est laudanda, enemata ex decoctis

emollientibus, vel ex semine lini convenient: itidem leniora eccoprotica ut manna, cassia, rheum *etc.* vesperi semper, quandoque de die, lene paregoricum exhibeatur. — Nitrum, sambucina, et camphora non minus sunt utilia. Decoctum hordei vel avenæ pro potu laudantur: balnea pedum et relaxantia topica pedibus applicata, hic usui erunt, ut acre podagricum ad pedes determinetur. Omnino a vesicantibus abstinendum.

259. Si autem et simul podagra articulationes infestat, tunc omnino a venæ sectione abstinendum esse duco: attamen si casus urgeat, hirudines regioni lumbari, vel abdomini secundum decursum ureterum apponi possunt. Hic non solum exulent vesicatoria, sed et cataplasmata, inunctiones, aut quævis topica, regioni lumbari applicata: e contra topica relaxantia pedibus applicentur, ut materiem podagricam ibidem retineant. Lenia paregorica, ut in alio casu, hic etiam sunt utilia, et quotiescumque spasmi adsunt, omnino laudanda.

260. Curam prophylacticam complebunt diuretica, ut gum. guajacum, rob juniperi, balsama nativa, quæ tamen prudenti manu danda. *Pareiram bravam* summis encomiis extollit *Barthez;* non

inutiliter hisce adjungitur *uva ursi* adeo celebrata per *De Haen*. *Dr. Dobson* commendat acidum *phosphoricum*, quâ propter usus *aquæ mephiticæ alcalinæ* omnino tentari meretur. Lenia exercitia etiam bona, fonticulus extremitatibus inferioribus impositus, omnino laudandus.

Lumbago,

261. Quam aliqui cum nephritide confundunt, etiam ab hac causâ observatur. Utiliter hirudines applicantur loco dolenti. Pediluvium calidum, et topica relaxantia pedibus applicata, indicationi satisfacient.

Hæmorrhagia uteri

262. Si a spasmodicâ affectione vasorum uterinorum dependeat, ordinarie satis magna erit, dicit *Barthez*, ut venæ sectio evitari possit. Remedia et diæta antiphlogistica convenient. Opiata utiliter cum enematibus injicientur. Topica relaxantia, pedibus applicanda.

E contra si a debilitate, seu atoniâ, dependeat, tunc fortificantia convenient, ut cortex peruvianus, martialia, quibus optime commiscentur antihysterica, ut camphora, moschus. Opiata omnino utilia erunt. A topicis utero applicandis, uti aceto, glacie, abstinêre præstat, et non nisi

in casubus desperatis ad ea convolandum. Interim vesicantia cruribus; et sinapismata pedibus quam primum applicanda.

Leucorrhæa et Blennorhagia.

263. Aliquando hi morbi a materiâ podagricâ oriundi observantur, uti per exempla a *Suediaur*, et *Barthez* allata credere debemus: verum non statim omnis fides ægrotis, dum talem morbum a podagrâ repetant, est adhibenda. Interim prudentia exigit, ut expiscetur an morbo venereo contrahendo sese non exposuerint. Interim dum simulamus illis credere, pulveres e radice salep, vel liquiritiæ, vel a gummi arabico facti, innocue exhibêri possunt. Topica relaxantia, vel synapismata acriora, prout casus indicabit, pedibus applicari possunt, ut materies podagrica ibidem alliciatur. Huc confer exemplum allatum numero tertio ex propria praxi, ubi cataplasmatibus emollientibus materiam podagricam ad pedes derivavi. — Item consule illud quod D. *Demanet* mihi communicavit ab aliquo tempore, et in parte secundâ inserui.

Catharrus vesicæ,

264. Quam *Barthez* enarrat, etiam observata fuit a *Vieussens* et *Hundertmark*,

uti refert *Sauvages* (*u*). Casus allatus ex *Barthez* nos docet, non temere istam fluxionem esse sistendam. Decoctum lichenis hic optime convenire mihi videtur. Opiata prudenti manu sunt danda, et potius tentanda ista topica, quæ podagram ad pedes allicere queunt. Fonticulus omnino suadendus.

Melancholia

265. Vel est idiopathica, vel est symptomatica. Si idiopathica, cura conveniet cum curâ num. 202.do de delirio descriptâ, quam consule. Si symptomatica, et causa hæreat in ventriculo et in intestinis, cura incipienda est, vel a leni cathartico ut rheo, vel vomitorio ut ex decocto cardui Benedicti vel infusione ypecacuanhæ. Unâ vel alterâ evacuatione prægressâ, ad cardiaca convolandum.

Martialia, cortex peruvianus, amaricantia, aromata, et præcipue zinziber hic omnem curam absolvent. Interim ea, quæ tam sæpe laudavimus, ut materies podagrica ad pedes determinetur, etiam in usum vocanda.

Prophylactice conveniunt etiam roborantia, amaricantia; verum rursus admoneo, dum amaricantia sumuntur, eorum

---

(*u*) *Nosolog.*, *tom. II*, *page* 396.

usum de tempore in tempus esse interrumpendum, ne noxæ ab usu *pulveris Ducis Portlandiæ,* vel corticis peruviani nimis diu continuato, ad numeros 58.[vum] et 59.[num] relatæ, pariter ab iis oriantur. — Regulares sint vere et autumno podagræ paroxysmi. Strictum regimen et diæta severa observentur. — Quâ propter de tempore in tempus, ut eccoproticum, quædam grana massæ pillularum purgantium *De Haen* convenient, sed tunc vesperi semper succedat paregoricum. Prodest porro corporis exercitatio, præsertim equitatio.

Hypochondriasis, Hysterica affectio.

266. Hypochondriasim (num. 238.[vo]), pariter visum fuit, a podagrâ atonicâ ventriculi quandoque oriri. Huic affinis videtur hysterica affectio, et in curâ vix differunt. Oriuntur ab irritabilitate auctâ systematis nervosi, proinde tota cura, etiam prophylactica, quam descripsimus hic supra de melancholiâ, dum est symptomatica, et hic conveniet.

Hydrops, Ascites.

267. In homine isto macilentissimo, de quo dixi num. 3.[io], antequam quinquagesimum ætatis annum attigisset, ascitem observavi paucis diebus lethalem. — Felicior

fuit *Musgraeve* in curando hydrope: curam incipiebat minuendo seri vim, hydragogis amandando; tum, quibus posset remediis, arthritidem evocando, ad pedes eam deturbare conabatur. Primæ indicationi semel et iterum satisfecerunt pilulæ aloëticæ, deinde per chalybæata, amaricantia, alcalina feliciter curam complevit.

268. Cura itaque ex præcedenti numero dictis erui potest. Primo nempe habenda est ratio morbi principalioris, ut hydropis et ascitidis: hunc scopum adimplebunt evacuantia diuretica, et deinde cardiaca. Secundo omnibus viribus conandum est, ut materies podagrica in pedes determinetur, et e corpore avocetur. Balneis calidis pedum hoc obtinêtur, itidem synapismatibus ad pedes applicatis, et vesicatoriis ad crura.

269. Curam prophylacticam absolvent corroborantia, chalybæata, amaricantia *etc.* sequens vinum medicatum, a *Swietenio* et *Boerhavio* præscriptum optime conveniret;

℞. *Limatur. ferr. recent. non rubig.*
Corticis peruviani.
——— *magellan. ana unc.* ij.
Rad. rhei exsic. unc. sem.
Vin. Rhenan. generos. lb. ij. *f. s. art. vinum medicatum.*

Exercitia quoque corporis, præsertim

in libero aëre peracta, et præsertim equitatio proderunt. Item ſonticulus inſerioribus corporis extremitatibus applicatus.

Febres intermittentes.

270. Febrim intermittentem post secundum paroxysmum, subito deletam vidimus superveniente podagræ paroxysmo. In tali casu nihil agendum esse præter ea, quæ diximus, dum egimus de podagrâ regulari, clare patet. Si autem podagrico quædam febris intermittens superveniat, evacuationibus necessariis præmissis, vel si *perniciosa* esset, sine ullâ evacuatione prægressâ, cortice peruviano tolli potest, uti nobis exemplum dedit in quartanâ, quam, dato cortice, profligavit *Musgraeve.*

At nonnumquam uti numero 116.[to] visum fuit, podagram concomitantur febres *depuratoriæ*, quæ quandoque sub formâ tertianæ simplicis, at non raro sub formâ tertianæ duplicis aut duplicatæ ludit. Ibidem pariter dictum fuit, illas febres participare de genio morborum tunc regnantium, et quantum in primis vernales differant ab autumnalibus, audiamus *Sydenhamum* « febres illæ totâ suâ naturâ, » sive essentialiter distinguuntur: deinde » vernales ordinario sunt depuratoriæ, » dum e contra autumnales sæpius sunt

» corruptivæ. » Hoc ipsum probatur *Hyppocratis* auctoritate « autumno in universum morbi acutissimi fiunt, et maxime » lethales, ver autem saluberrimum et » minime exitiale. »

271. In febribus istis depuratoriis aliquando nihil agendum, si nempe natura crisim ad artus moliatur. Aliquando tamen, si primæ viæ sordibus sint onustæ tempore remissionis, vel apyrexiæ, evacuationes spontaneæ promovendæ sunt, *quo natura vergit, eo ducenda est*, verum semper est habenda ratio virium ægri.

Dum evacuationes criticæ nunc præcesserunt, dolores valde diminuti sunt, intermissiones vel remissiones longius durant, tunc utiliter cortex peruvianus exhibêri potest, cui adjungitur vel rheum, vel sal glauberi, convenienti dosi, ut alvus servetur aperta.

272. Nonnumquam febres istæ non sunt depuratoriæ, sed corruptivæ, aut symptoma aliquod grave, quasi participarent de perniciosis, concomitatur : tunc istæ quantocius cortice auferendæ sunt.

273. Quandoque hæ febres, uti eodem numero 116.to dictum fuit, deprehenduntur esse indolis inflammatoriæ, et tunc cura antiphlogistica conveniet, venæ sectiones, nitrosa, sambucina *etc.* quandoque

manifeste sunt indolis putridæ, tunc cura antiseptica in usum vocanda *etc*. habitâ semper ratione podagræ concomitantis.

Podagra anomala composita

274. In secundâ et tertiâ parte enumeravimus morbos, quos *podagra* sic dicta *anomala* excitâsse observata fuit. Dico *excitâsse observata fuit*, nam plures certo certius ista causavit morbos, verum observati non fuerunt, vel si observati fuerint, non descripti fuerunt. — Hic æger isti vel illi morbo occubuit, illic magno non sine discrimine evasit; res est periculo plena: verum quanto periculosior si eodem tempore duo vel plura invadat viscera? Cura jam modo adeo difficilis, et complicata, et eo difficilior et intricatior evadet, quo plura occupaverit viscera.

Hi casus ordinarie sunt lethales, verum non ideo desperandi. Medicus maximâ procedat prudentiâ, inquirat sedulò in progressum morbi etc.

Cura hic conveniens ex illis, quæ variis de morbis in hac parte dicta fuerunt, erui debet.

LITTERÆ

Expertissimi D. Van Rotterdam *ad Auctorem, de die* 16 *Decembris* 1809.

Amice Collega!

Cum de materiâ admodum difficili, et non minus dubiâ, de Podragra scilicet, publice scribere ausus fuisti, cumque edendo hoc opere, ejus merita, etiamsi eximia, aliorum analogis observationibus exornari forsan possint, offero tibi casum, quem ob singularem raritatem, ni fallor, in doctâ tuâ dissertatione publice consecrandum judicabis.

Vir quidam macilentus, temperamenti atrabilarii, sed constitutionis sat robustæ, quinquagesimum secundum annum agens, jam diu podagricus, circa solstitium vernale anni 1806 novo podagræ, sed levi insultu afficiebatur; illo tempore sese debiliorem solito, et summam capitis gravedinem persentiebat: per duos dies leviter stabat dolor podagricus, post quos, nullâ adhibitâ medelâ, podagra subito evanuit, et æger unico ictu, quasi fulmine tactûs, *guttâ serenâ* completissimâ corripiebatur. Hæc ejus narratio cum ad infortunatum accederem; ego autem omnia remedia, quæ possidet ars, per trimestrem integrum in auxilium vocavi. *Setaceum* ad

nucham per annum sustulit, post quod tempus et huic, et aliis remediis valedixit ægrotus: ad hoc usque tempus pro reliquis functionibus mansit perfecte sanus, et a podagrâ integre liberatus, sed simul perfecte cæcus. In oculi bulbo, ut et in humoribus nihil umquam intuënti apparuit, nec oculus umquam doluit, sed sensus ponderis et gravitatis, quem ab initio ad infimum frontis profunde sentiebat, hucusque permansit.

Hic casus quamvis sat rarus, podagræ tamen naturæ obscuritatem, et nobis latentem indolem demonstrat.

Ego sane materialem causam, in omni morbo podagrico existentem, arguere ausus non sum, et potius a certâ, systematis nervosi, morbosâ modificatione, primam ejus originem dependêre semper fui suspicatus.

Petitur 1.mo qualis in hoc casu visûs organi pars fuerat læsa? ℞. Probabiliter thalami nervorum opticorum. 2.do Cur podagra intra triennii spatium non rediit? An hujus remansionis causa forsan actioni permanenti exutorii ad nucham adscribenda? sed et aliæ plures nervosæ affectiones in invicem commutantur sæpe: convulsiones diuturnæ aliquando subsequente paralysi finiuntur; et hypochondriasis nervosa paralysi adveniente non raro solvitur. In opusculo, cui titulus: *Recueils des Maladies périodiques etc.* leges, susurrum aurium intolerabilem et diuturnum, podagrâ apparente, subitò fuisse sublatum, redeuntem denuo post podagræ insultum. — Et quot podagrici non manserunt per totum

languidæ vitæ curriculum paralytici, ideo præcise, quia crudelis eorum hospes illos derelinqueret?

Plura addere possem, nisi paginæ angustia vetaret et plura illa essent, Amice Collega, æque conjecturalia. Analogia tamen in re medicâ plurimum sane lucis affert.

Vale.

Van Rotterdam.

---

* Dum hæc dissertatio imprimebatur, D. Van Hulthem, *Accademiæ Bruxellensis Rector*, et *Decanus*, *nec non in eâdem Historiæ Professor nominatus*, *Legionis Honoris insigni decoratus*, *Bibliothecæ urbis Gandavensis præpositus* mihi sequentem casum ab ipso ægroto descriptum (1) benevole communicavit. D. *De Mann* (notus sub nomine *l'abbé De Mann*), *Collegiatæ Ecclesiæ Cortracenæ Canonicus*, *nec non Accademiæ Regiæ Bruxellensis*, quoad exsistit, *Secretarius perpetuus*, Patriâ *Anglus*, a juniore ætate Militiæ adscriptus jam in *Hispaniâ* degebat, dum subito arma cum religione commutare statuit. — Annum agebat tunc quintum et vigesimum et ex Hispaniâ se recipit ad cænobium quod *Carthusiani*, natione *Angli Neoportûs* occupabant. Situm est hoc oppidum in antiquæ Flandriæ parte occidentali ad littera maris. —

(1) *Esprit des Journaux, tome I, treizième année, février* 1784.

Vivendi methodum maxime activam cum vita sedentariâ; Regionem Calidissimam cum multo frigidiore sic permutavit. — Differentia non minor in victu quotidiano, cum Brunonis Filii a Carnibus et Butyro abstinêre debeant, solisque uti piscibus et oleo illis sit licitum.

Vix quatuor annos huic regulæ adstrictus, annum jam agens vigesimum nonum, doloribus vexabatur arthriticis, de quibus nulla suspicio, et qui totâ hieme annorum 1763-1764 durabant, et non nisi superveniente æstate fugabantur.

Paucos post dies cum in eodem conventu *Neoportûs* Prior esset electus, invasit eum febris continua, quæ tandem desinit in podagram, utrumque pedem eodem tempore occupantem. Verum medelâ indebitâ, nam durante hoc paroxysmo ter ipsi secta fuerat vena, acre podagricum retrocesserat, quod adhuc repetitis vicibus durante hieme 1764-1765 ipsi accidit. — Valetudinarius sanitatem parumper exercitiis quotidianis recuperat, ast non totaliter. — Morbi causam podagricus noster adscribebat studio intensiori, quod summam in noctem protrahens, ita necessarium corpori somnum impediebat, vitæ sedentariæ, quam substituerat arti militari, et climati multum frigidiori cum antea Hispaniam habitabat.

Anno 1768 podagrâ rursus afficitur anomalâ, quæ medicatione alienâ, duabus nimirum venæ sectionibus exasperatur. Hunc paroxysmum tres alii regulares excipiunt, omnes unius anni tempore, nimirum a 1768 usque ad 1769, sibi succedanei.

Mense januarii anni 1770 *Bruxellas* et *Mechliniam* adire cogitur, dum jam novus paroxysmus

in procinctu esset. Urina repleta est concretionibus gravellosis, et rursus podagrâ afficitur irregulari; verum domum reversus (per cataplasmata calida relaxantia pedibus applicata) podagra ad pedes, manumque dextram revertitur, duratque paroxysmus per hebdomadas sex. Adeo vehemens hâc vice podagra fuerat, ut materies calculosa exitum sibi ad malleolum pedis sinistri paraverit, et in maximâ quantitate effluxerit hac viâ.

Mense martio 1772 rursum podagrâ afficitur anomalâ. Harum calamitatum pertæsus, varia sed frustra, tentat contra dirum hunc morbum remedia. Sequebatur mirandâ exactitudine quæ præscripserat celeberrimus *Cadogan* podagricis « ut in libero aëre » exercitia peragant quotidiana; sedulo evitent potus » fermentatos, et omnem victum qui per digestio» nem in acidum converti posset. » Et quatuor vix elapsis mensibus, sequente *septembri* eâdem decumbit ac *martio* præcedente podagræ specie.

Nihil ipsi juvat fonticulus, quem anno sequenti 1773 sibi poni curat prophylactice in extremitatibus inferioribus, sæpius et hoc anno ipsum afficit podagra, quæ cum doloribus nephriticis alternat. — His etiam factum est ut podagricus noster a *Sanctâ Sede Apostolica* expostulet sæcularisationem, quam anno 1777 obtinuit, et sic rursus vitam monachalem cum magis tumultuosâ, et plagas frigidiores cum minus frigidâ permutavit.

Donatus Canonicatu in urbe Cortracenâ, et eodem tempore per Gubernium Austriacum *a residentiâ* dispensatus, Bruxellis habitationem figit, quo etiam eum insequitur infensissimus hostis podagra; et ab anno 1777, quo conventui valedixerat usque

in 1779, variis vicibus podagrâ fuerat cruciatus. — Hisce temporibus cum varia tentamina circa varios morbos *cum cicutâ* instituerat *magnificus D. Störck*, et felices obtinuerat effectus, tam in crudelissimo cancro, quam in doloribus arthriticis vix ferendis, fama hujus remedii totam per crebuit *Europam*. — Canonicus noster a tanto desiderans liberari morbo, novum secum statuït remedium: ut certior esset de effectu remedii; expertissimus *Himelbaver*, celebris quondam apud *Bruxellenses* Medicus extractum cicutæ *Vindobonâ Austriacorum* ipsi procuravit, curamque mense *aprili* 1779 incepit, sumendo quatuor pillulas gr. *ij* seu octo grana extracti-cicutæ, quam dosim ter de die repetebat. — Dosim hanc sensim augebat, eidemque addebat grana duo extracti Aconiti. Dosim hujus extracti sensim etiam augebat ita ut post quinque vel sex menses singulâ die assumeret a granis *c* usque ad *cxx*. — Proportio inter extr. *Cicutæ*, ad extr. *Aconiti*, uti 5 vel 6 ad 1 et satis longo tempore, licet in minori dosi idem remedium continuavit. Putabat hujus remedii vim augêri additâ camphorâ mucilagine G. arab. subactâ, qua propter de tempore in tempus huic remedio superaddebat aliquot grana camphoræ: pariter inter usum horum extractorum leniter purgabat rhubarbaro.

Tres jam elapsi erant menses, dum adhuc nullum ex remediis obtinuerat solamen: nihilominus constanter pergit in incepto, et tandem omnino a podagrâ liberatus fuit, ut annis 1780-81 jam varias leucas pedibus perficere valeret. — Non solum obesitas multum diminuta, sed et tota constitutio ita mutata fuit, ut deinceps a cruditate acidâ, quâ

vexabatur multum, fuerit liberatus , quin imo bilis prædominaretur, quam succo citri sæpius in posterum infringere debuit: quin imo postea laboravit febre et diarrhæâ biliosis, quam astringentibus compescuit. — Evacuantibus profligavit erysipelatem, quæ crus sinistrum occupabat, sed et his ventriculus tantâ fuit debilitate affectus, ut cruditas acida redierit, quam denuo pristinis remediis superavit.

Cicuta seu *conium maculatum Linæi*, quam, ut in posterum omnis error evitaretur, tabulâ æneâ expressit *Störck*, ab omni tempore ut venenosa habita fuit: non obstante hac indole externe tamquam sopiens, et resolvens in carcinomatosis ulceribus adhibita fuerat jam multis abhinc annis, dum illust. *Störck* ad eosdem aliosque morbos, hactenus incurabiles, internum usum tentare cepit. Innumeris observationibus tum *Störck*, *Quarin*, tum aliorum doctissimorum medicorum constat eam validissime resolvere, et non solum schirrosas glandulas reserare et cancrum curare, vel saltem emendare, sed etiam spinæ ventosæ ulceribus cacoëtheis, morbis cutaneis, cataractæ, amaurosi, arthritidi, cephalææ chronicæ, aliisque morbis ad alia omnia rebellibus, aliquando medelam esse.

Multi tamen fuere Medici, iique in arte peritissimi, qui omnem fidem his observationibus abnegârunt cum non solum nullum effectum obtinuissent ab extracto cicutæ in sua patria præparato, sed nequidem ab extracto per ipsum *Störckii* pharmacopœum confecto: an forsan non satis diu in ejus usu perrexêrunt? Sic equidem audivi a collegis meis, qui aliquando effectus ab ejus usu observâsse credunt; id solummodo tunc fuisse, cum longissimum

in tempus continuaretur. Interim nos credimus *Cicutæ* uti et *Aconiti* virtutes ab aliquibus nimis fuisse elatas, ab aliis nimis depressas.

Aconitum, cujus extractum D. *De Mann* præcedenti, licet in minori dosi, adjunxerat, pariter in usum medicalem vocaverat *Störck* Dicitur potentissime lymphæ spissitudines solvere, et eamdem in vasculis minimis aponeurosiûm et ligamentorum hærentem ad transpirationem disponere. Paucis ejus granis apud varios curatæ leguntur arthritides pertinacisschiæ et ad omnia rebelles.

Interim apud Medicos *Gandenses* frequentior usus extracti cicutæ contra phthisim, idque absque ullâ noxa majori in dosi præscribitur — Postquam expertiss D. *Busch* opusculum de phthisi perlegeram, *Aconiti* extractum præcedenti prætuli, binisque in casubus salutarem effectum ab eo in hoc diro morbo fui consecutus.

Si quis itaque prædictis remediis podagram fugare conaretur, ad instar D. *De Mann*, per longissimum tempus iisdem utatur, et a dosi minori sensim ad majorem ascendat; ast ne noxæ a pulvere *Ducis Portlandiæ* oriundæ, et hoc remedium insequantur, per paucas hebdomadas eorum usus est de tempore in tempus intermittendus.

FINIS.